



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

Liber XCIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER XCIV.



JOANNES XXII, DEIN BENEDICTUS XII
SUMMI PONTIFICES.

LUDOVICUS BAVARUS OCCIDENTIS;
ANDRONICUS III ORIENTIS IMPP.

§. I.

*Concilia Compendinum, &
Marciacense.*

Guilielmus Triensis Remorum Archie- Sæcul. XIV.
piscopus Compendii habuit conci- A.C. 1329.
lium provinciale, cœptum die lunæ
post Natalem SS. Virginis undecimo Se-
ptembris anno 1329, & continuatum
Z 2 usque

Sæcul. XIV. usque ad diem Veneris post diem festum
A.C. 1329. S. Crucis Exaltatæ quintum decimum e-
 jusdem mensis. Intererant præter Ar-
 chiepiscopum Albertus Rauganus Lau-
 duni Præsul 10 Jan. eodem anno electus,
 Simon Castrovillanus Catalauni Antistes,
 & Fulcandus Rupicavardinus Noviodu-
 ni Episcopus, cæterorumque Suffraga-
 neorum Remensium Procuratores. Con-
 didere septem canones: quorum primus
 præcipit, ut omnes fori sacri Judices or-
 dinarii functiones factas pro Ecclesiæ li-
 bertate, jurisdictione, ac reliquis juribus
 conservandis ante Natalem Christi habe-
 re studeant; & interea in suo quisque
 territorio censuras ecclesiasticas irrogent
 iis, qui hæc jura violaverint. Canon
 ultimus mandat, ut Parochi quavis do-
 minica has censuras hora divini sacrificii
 denuncient præsertim contra turbatores
 jurisdictionis ecclesiasticæ.

to. 11. p. 1774
Gall. Chr.
to. 2. f. 623.
507. to. 3.
p. 822.

art. 7.

to. 11. Conc.
p. 1788.

Guilielmus Flavacurtius Archiepis-
 copus Auscitanus die festo S. Nicolai 6
 Dec. eodem anno Marciaci in diocesi sua
 celebravit provinciale concilium; cui a-
 derant Guilielmus Desbordius Lactoræ,
 Guilielmus Hunaldus Tarbæ, Arnaldus
 Valensunius Eloronæ, Petrus Joannifanen-
 sis ex Ordine Prædicatorum Bajonæ, &
 Garsias Faber Aturi Præfules: suos Vi-
 carios Generales miserant cæteri quatuor
 Suffraganei Convenarum, Aginnii, Las-
 curæ,

curæ, & Conferani Antistites. Id Con-
 cilium confecit tabulas publicas, quarum Sæcul. XIV.
A.C. 1329.
 summa hæc erat: Mature consideravi-
 mus detestandum facinus Tercelli Brula-
 ti ac sociorum ejus (nominantur duode-
 cim omnino fontes) qui prope Nugario-
 lum in Auscitana diocesi Anefancium
 Episcopum Aturinum piæ memoriæ ex
 insidiis consulto structis ac pleno die ne-
 carunt: tantumque abfuit, ut Ecclesiæ
 se biennio amplius expectanti satisfacere-
 rent, ut de hac cæde palam gloriarentur.
 Idcirco ante omnia asseveramus nos de
 illis non mutilationem, aliasve pœnas
 sanguinis expetere sed duntaxat canonicas,
 & maxime illas, quas continet nostræ
 provinciæ Auscitanæ sanctio, cui principium:
Quia quod contra Præ-
latos. Est canon sextus concilii Nugario-
 lini anno 1290 habiti. Sup. lib. 89.
p. 13.

Marciacense pergit: Declaramus duodecim
 sicarios jam memoratos cum illis (nominantur
 quinque alii) qui eis receptaculum dederunt,
 ac etiamnum concedunt, in hujus sanctionis
 pœnas incurrisse. Et quia ad pœnas reipsa
 executioni mandandas, quam illæ postulant,
 ultra procedere non possumus: te, o Prætor
 comitatus Armeniaci, ac te, o Raymunde
 Montili ejus Judex ordinarie, qui adestis,
 oramus, ut dictam sanctionem ex officio
 exequamini. Alioqui asserimus

Sæcul. XIV.
A.C. 1329.

fore, ut vos & Comitem vestrum in Romana curia, & coram Domino nostro Rege Franciæ judicio persequamur.

§. II.

Petrus Cugniarius de Clero conqueritur.

conc. to. II.
p. 1777.
Bibl. PP.
Paris. to. 4.
p. 1055.

Rex Philippus Valesius 1 Sept. eodem anno 1329 scripserat epistolam ad Præsules Franciæ circummittendam, in qua dicebat: Ut audivimus, vos cum Judicibus ecclesiasticis perhibetis, quod nostri Prætores, Baronesque aliqui multis vexationibus vobis subditos afficiant; Prætoresque ac Barones nostri vicissim conqueruntur se a vobis exagitari. Tam gravibus malis remedia comparaturi oramus ac præcipimus, ut die octava S. Andreae Lutetiæ adsitis cum necessariis documentis læsionum novarumque rerum, de quibus querimonias jactatis. Prætores quoque ac Barones nostros jubemus eodem die Parisiis comparere, ut vos inter & illos concordiam reconciliemus nulli mutationi obnoxiam.

Præfixa die Veneris 8 Dec. 1329 Regi Parisiis in palatio se sistebant viginti Præsules, nimirum Guilielmus Scopula *
* de la Brosse Bituricæ, Guilielmus Flavacurtius Aucorum, Stephanus Burgolinus Turonum, Guiliel-

Gall. Chr.
to. I.

Guilielmus Durfortius Rothomagi, & Petrus Rogerius Senonum Archiepiscopi quinque, ac ultimus quidem nuper electus; Bellovaci, Catalauni, Lauduni, Lutetiae, Novioduni, Carnuti, Cosediarum, Andegavi, Pictavorum, Meldarum, Cameraci, Floropolis, Brioci, Cabillonis, & Augustoduni Episcopi quindecim. Cum Rex inter suos Consiliarios & quosdam Barones confedisset, Dominus Petrus Cugniarius Eques illi a consiliis pro eodem palam dicere coepit, pro themate sumens hæc Evangelii verba: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo!* Probabat res sacras a profanis esse distinguendas ita, ut hæc ad Regem ac Barones, illæ ad Præsules pertinerent. Afferebat multas rationes facti & juris, concludebatque debere Præsules contentos esse rebus sacris, in quibus ipsos Rex protègeret. Dein ajebat Gallice, Regem velle res profanas in statum pristinum restituere: ac referebat sexaginta sex puncta querelarum de Clero: quæ tradebat Præsulibus, ut de iis deliberatione inita Regi ac Domino suo fida darent consilia.

Sæcul. XIV.

A.C. 1329.

Bal. 1. vit.

p. 783.

Matth. 22. 21

Sæcul. XIV.

A.C. 1329.

§. III.

Responsum Archiepiscopi Senonensis.

Ut haberent consultandi spatium, negotium differebatur alteram in diem Veneris decimam quintam Decembris: qua Petrus Rogerius Archiepiscopus Senonum pro Præfulibus loquens ante omnia affirmabat, quidquid dicturus esset, non se prolaturum iudicii subeundi causa, sed solummodo, ut Regem ac præsentem redderet rei tractandæ conscios. Elegit pro themate hæc S. Petri verba: *Deum timete: Regem honorificate!* Ingressus materiam fatetur discrimen duarum potestatum, sacræ ac profanæ: sed ad illud S. Petri dictum: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ!* respondet hanc submissionem non esse debitam. Alioquin, addit, quivis Episcopus deberet se submittere pauperrimæ, quæ Parisiis datur, aniculæ, quia est humana creatura: nec observat Apostolum sua verba mox ita explicantem: *Sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus, tanquam ab eo missis.*

Bibl. PP.
p. 1064.

1. Pet. 2. v. 17

p. 1066.

1. Pet. 2. v. 13

v. 14.

p. 1067.

Postea jurisdictionem profanam cum sacra in eodem viro sociari posse lucide demonstrat Archiepiscopus: sed hoc non vene-

venerat in quæstionem: agebatur de li-
 mitibus utrique potestati ponendis. Ro-
 gerius autem jurisdictionem sacram in
 res profanas extendere vult per exempla
 legis veteris: quasi profana Israëlitas re-
 gendi potestas, quam Deus Moyfi, Aaro-
 ni, Samueli, aliisque dederat, continge-
 ret religionem Christianam, & cunctas
 nationes, quas hæc comprehendit. Præ-
 ful progrediens longius defendit doctri-
 nam, quam Papa de dominio Christi nu-
 per proposuerat in suis litteris: *Quia vir
 reprobus.* Dicit proinde Christum etiã
 ut hominem habuisse utramque potesta-
 tem; & utramque dedisse Petro, eo quod
 eum instituerit suum Vicarium; & is A-
 naniam & Saphiram mendacii furtique
 iudicio condemnaverit. Quasi miracu-
 la probarent aliquid pro jurisdictione or-
 dinaria. Sic Rogerius tollit discrimen,
 quod inter duas potestates agnoverat. Id
 enim manet, quando duntaxat per acci-
 dens, ut ajunt, conjunctæ sunt, velut in
 Episcopo, qui simul est Dominus civilis.
 Si autem jurisdictio profana ei propria
 sit tanquam Episcopo; si hanc natura e-
 piscopatus postulet, discrimen evanescit.
 Dein Archiepiscopus contra Petrum Cu-
 gniarium vertit utilitatem, quam capere
 se putat ex allegoria duorum gladiatorum
 ad statuendam distinctionem duarum po-
 testatum. Qua in re fatis mirari nequeo

Sæcul. XIV.
 A.C. 1329.

p. 1068. C.

AR. 5.

p. 1069. B.

Sæcul. XIV.
A. C. 1329. credulitatem illorum, qui tum temporis jura Regis ac Judicum profanorum contra injustas usurpationes Cleri defendebant. Quid enim adstringebat illos, ut admitterent hanc frivolam allegoriam totæ antiquitati incognitam? Et quid obstabat, quin dicerent, ut est verum, duos gladios in Evangelio nihil mysticum significare, ac esse simpliciter duos gladios ab Apostolis sumptos divinum Magistrum tuendi causa.

p. 1076. E. Nolo referre argumenta reliqua Præfulis Senonensis: quia deberem simul eorum infirmitatem in gratiam lectorum, qui his in materiis versati non sunt, ostendere: quod magis pertinet ad peculiarem dissertationem de jurisdictione ecclesiastica. Archiepiscopus suam orationem longam ac tædium creantem ita concludit: Proposita contra nos multa fuere puncta, quorum aliqua enervant totam jurisdictionem ecclesiasticam: idcirco ad mortem usque illa impugnabimus. Alia continent meras alieni fori usurpationes, quas non credimus cadere in nostros Administros: atque si eas facerent, nos illas neutiquam toleraremus. E contrario cuncti decrevimus easdem, quamdiu congregati sumus, abrogare ob pacem populi, & ad gloriam Dei. Amen.

§. IV.

Sæcul. XIV.
A.C. 1329.*Petri Bertrandi responsio.*

Tertia die Veneris 22 Dec. Præsules ad Regem in Parisinum palatium cum convenissent, Petrus Bertrandus Episcopus Augustodunensis omnium nomine loquebatur. Anoniaci in Vivariensi tractu dioeceseque Viennensi natus, cum magna utrique Juri operam navasset, Aurelianæ accepta doctrinæ laurea, Cesseronæ Professore egerat. Initio asseverabat, sicut Archiepiscopus Senonum, se tantum loqui Regis docendi gratia, non ut Petro Cugniario ex forma Juris responderet, aut locum daret sententiæ, quæ tribuere jus cuiquam posset. Tractabat primum quæstionem generalem de discrimine duarum potestatum, ac de fundamentis jurisdictionis ecclesiasticæ, ferme solum repetens argumenta Præsulis Senonensis. At postea sexaginta sex puncta per Petrum Cugniarium objecta, percurrens, ad singula respondebat. Satis habeo referre illa, quæ mihi videntur majoris esse ponderis.

p. 1077.
Baluz. to. I.
p. 782. 976.

p. 1079.

Petrus Cugniarius agebat: Reales, ut vocantur, causæ, quæ possessionem aut dominium contingunt, ex jure communi pertinent ad jurisdictionem profanam: &

art. I.

Sæcul. XIV.
A.C. 1329.

63. *Dist. c.*
Valent. 2.
q. 1. quæcun-
que.

a. 2.

a. 3.

a. 4.

& tamen Judices ecclesiastici conantur eas suum ad forum trahere. Petrus Bertrandus perhibet eos recte agere, idque se demonstrasse per sua responsa generalia: & affert Gratiani locos, ubi nihil decretorium video. Cugnarius. Quando laicus Clericum, a quo turbatur in possessione terræ suæ, ad Judicem profanum in jus vocat; Judex ecclesiasticus eum & partem curat moneri, ne procedant ultra sub anathematis ac pecuniaria poena. Bertrandus: Hoc in casu Clericus agitur reus: Jus autem sanxit, ut actores Judicem reorum adeant. Cugnarius: Judices ecclesiastici ad se accersunt laicos etiam in actione, quam vocant personalem, quando pars ita postulat; ac renuunt eos remittere ad ipsorum Judices profanos. Bertrandus: Sic agunt ob peccatum, quod committit is, qui recusat restituere, quod perperam retinet, aut solvere, quod debet. Hæc ratio vel sola illis sufficiebat, ut omnes causas ad tribunal evocarent suum. Cugnarius: Sæpe Judices Ecclesiastici ad se venire laicos jubent rogantibus Clericis, qui conqueruntur se ab iis turbari in possessione patrimonii. Bertrandus: Nempe hoc laici facinus est sacrilegium; cujus cognitio ad solam spectat Ecclesiam.

Cugna-

Cugniarius : Judices ecclesiastici vo-
lunt cognoscere pactiones factas in curia
civilis : & in terris laicorum constituunt
Notarios ecclesiasticos, qui recipiant pacta
omnium se adeuntium etiam in materia
profana. Bertrandus : Ecclesia tenet jus
cognoscendi pactiones in civili curia con-
fectas, præsertim, quando juramentum
aut fides violata est : atque Notarii eccle-
siastici nemini faciunt injuriam recipien-
do pacta illorum, qui obstringere se vo-
lunt in curia sacra, & hanc civili præfe-
runt. Cugniarius : Siquis ob debitum
proscriptus non pendit pecuniam impe-
ratam, mox aggravatur iterum ; & Ju-
dex ecclesiasticus civili mandat, ut debi-
torem ad flagitandam absolutionem, ac
dissolvenda nomina compellat ipsius bo-
na tradendo sub custodiam. Si non pa-
reat, proscribitur ipse, nec absolvi potest
præterquam solvendo debitum. Ber-
trandus : Quando Ecclesia fecit, quod po-
tuit per suam jurisdictionem sacram, ex
jure divino & humano potest confugere
ad præsidium Magistratus civilis : qui si
neglecto monito proscriptum hominem
ad exsolvendum æs alienum cogere om-
mittat, ita ut creditor perdat suum : non
est inconveniens sic agere cum Magistra-
tu ; præsertim tum, cum anathema am-
plius anni spatio duravit.

Sæcul. XIV.

A. C. 1329.

a. 5.7.

a. 12.

Cugnia-

Sæcul. XIV.

A. C. 1329.

a. 23.

c. 49.

a. 29.

a. 30.

Cugniarius: Præsules, ut jurisdictionem dilatent suam, dant tonsuram quam plurimis, etiam ætatis tenellæ pueris, aut servis, vel spuris, ac maritis illiteratis ineptisque se adeuntibus, ne mandentur carceri, & ob crimen aliquod puniantur. Bertrandus: Quanto major est numerus dignorum hominum divinis obsequiis consecratorum, tanto plus ab illis colitur Deus: quo juvante cavebunt Præsules, ne indignos vel inhabiles eo admittant. Sed Optimates importunis sæpe precibus id petunt. Qui hanc querelam adornarunt, deberent nominare Præsulem talibus culpis affinem; non eas omnibus generatim affingere. Cugniarius: Furem cum re subducta capit Judex regius, quam restitui jubet illi, qui probat esse suam. Si Præsul dicit reum esse Clericum, rem subreptam a Regis Ministro repetit. Bertrandus: Scilicet principali cedit accessio. Cugniarius: Quando nocentem, cujus crimen est certum, corripiunt ministri regii, & ille se dicit Clericum, etiam si vestem profanam, neque tonsuram gerat, Judex ecclesiasticus illos, qui comprehenderunt hominem, mox per censuras adigit, ut eum reddant. Bertrandus: Clericus cælebs in veste profana captus non ideo privilegium amittit suum, si constat esse Clericum; at si dubium est, comprehensio

fio

fio ad Judicem civilem, cognitio ad Eccle-
 siam pertinet. **Cugnarius**: Quando Ju-
 dex profanus Ecclesiæ reddit furem aut
 homicidam tonfura conspicuum, is brevi
 libertatem recipit, quamvis cognitum sit
 crimen ejus: quæ res malos excitat ad
 peccandum liberius. **Bertrandus**: Sæ-
 pe accidit, ut laici captum Clericum
 reddentes Judici ecclesiastico crimen il-
 lius non indicent: igitur salvo officio de-
 tinere captivum nequit.

Cugnarius: Judices ecclesiastici per
 apparitores suos comprehendunt Cleri-
 cos in quovis territorio, nec appellant lo-
 corum Judices: atque si quis horum se
 opponit, cum anathemate feriunt, ut de-
 sistat. **Bertrandus**: Præsulibus Judici-
 busque sacris per jus divinum & huma-
 num licet Clericos ubique capere: cum
 non sit locus, in quem se non extendat
 jurisdictio spiritualis. Alioqui Clerico-
 rum crimina sæpe impunita manerent:
 quia eos laici capere nullo in casu possunt,
 in quo non subeant execrationem sa-
 cram; & quanquam illos Ecclesiæ resti-
 tuerint: hæc tamen servat jus eos de-
 nunciandi devinctos anathemate ob com-
 prehensionem. **Cugnarius**: Quando
 proscriptus absolvi se curat, Judices ec-
 clesiastici arbitrariam ab eo pœnam ex-
 petunt: unde fit, ut multi maneant cœ-
 tu piorum moti. **Bertrandus**: Quia ne-
 mo

Sæcul. XIV.
 A. C. 1329.

a. 31.

a. 47.

a. 48.

a. 50.

Sæcul. XIV.
A. C. 1329.

- mo proscribitur nisi ob peccatum letale, poenitens id debet luere in cute vel in ære; quæ poena quibusdam in locis est fixa, in aliis arbitraria.
- a. 60. Cugniarius: Præfules e Clericis faciunt Prætores suos, qui profana ipsorum bona conservent: itaque cum delinquant, nequeunt puniri, ut convenit. Bertrandus: Justitiam melius administrant Clerici, qui callent Jus, quam laici non litterati: ac Præfules sæpe non inveniunt, qui munera ipsorum suscipiant: adeo formidantur Domini profani.
- a. 61. Cugniarius: Judices ecclesiastici, quando aliquem inter devotos diris seu jure seu injuria numerant, edunt monita, nequis operam proscriptis locet suam, vel commercium cum eis ullum habeat: quapropter vineæ ac fundi crebro inculti manent. Bertrandus: Tales monitiones facere possunt ac debent Judices ecclesiastici: quia communio cum proscriptis est noxa mortifera; & inter modos communionis est labor pro illis.
- a. 62. Cugniarius: Judices ecclesiastici accersunt viginti, triginta, quadraginta, pluresve homines: fingunt eos habuisse communionem cum proscriptis: & ab uno decem solidos, ab alio viginti pro facultatibus ipsorum exigunt. Bertrandus: Judices ecclesiastici nunquam tot homines citari jubent, nisi grave animarum periculum, vel magnam offensio-

offensionem videant. Sed quando sunt, Sæcul. XIV.
A.C. 1329.
qui contempto monito communionem cum proscriptis exerceant, per poenam corporis aut pecuniariam Deo ac Ecclesiæ satisfacere debent.

Cugniarius: Judices ecclesiastici volunt recognoscere bona mortuorum sine relicto testamento, etiam in locis regio dominio & jurisdictioni obnoxiiis; bonorum mobilium, immobiliumque possessionem capere; ea hæredibus vel quibus cupiunt, distribuere. Executionem quoque testamentorum sibi vendicant, & pro hac sola functione ministros habent. Recusant interdum fidem adjungere testamentis in præsentia Notariorum factis, si ea ipsi non approbaverint. Bertrandus: Secundum canones ac leges Principum quilibet Præsul in sua dioecesi est legitimus curator testamentorum præsertim post diem in Jure præscriptam. Principali autem cedit accessio, nempe bonorum recognitio, distributio, & reliqua. Denique in multis regni Ecclesiis moris est, ut testamentis, quæ Archidiaconi vel alius Judicis minoris Notarius recepit, denegetur fides, donec illa Judex præcipuus, ac dioecesis proprius approbaverit aut ediderit: quod quidem fit propter modicam auctoritatem ejusmodi Notariorum, & ob falsitates, quæ possent intercedere.

a. 20. 64.

a. 66.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXIII. A a §. V.

Sæcul. XIV.
A. C. 1329.

§. V.

Disceptationis conclusio.

*Bibl. p. 1088.
C.*

Postquam hæc dixerat Episcopus Augustodunensis, nomine Regis peti-
tum est, ut illius responsa scripto trade-
rentur. Tum Præsules deliberatione ha-
bita statuerunt Regi solummodo dare li-
bellum Gallicum continentem summa-
tim jura sua suo rogatu ab ipso conser-
vanda.

p. 1090:

Quarta die Veneris 29 Decembris
Præsules Vincennas ad Regem venerunt,
respondum ejus audituri. Petrus Cugna-
rius ejusdem nomine ad illos dixit, non
debere ipsos conturbari ob quasdam res
memoratas: quia Rex jura ipsorum o-
mnia tueri cogitaret. Tum insistebat
discrimini negotiorum sacrorum profano-
rumque: ac demum asseruit Regem esse
paratum recipere quarundam consuetu-
dinum documenta, quæ sibi traderentur;
& observandas curare illas, quæ vide-
rentur justæ. Episcopus Augustodunen-
sis nomine Præsulum respondit, conque-
rens, cum comitate tamen, responsum
Regis non esse clarum, & posse reliquis
Dominis profanis fucatam dare ansam
turbandi jura Ecclesiæ. Finit orando
Regem, ut responsionem magis consola-
toriam redderet.

Sequen-

87^o Sequentē dominica 31 Decembris Sæcul. XIV.
A.C. 1229.
 cum Præfules Vincennas revenissent ad Regem; Petrus Rogerius Archiepiscopus Senonensis retulit postremam Præfulum petitionem, ac ultimum responsum Regis. Tum Guilielmus Scopula Bituricensis Archiepiscopus illis exponebat Regem dixisse, non esse, quod metuerent, nec amissuros quidquam, quoad viveret; quippe qui nollet præbere cæteris exemplum invadendi Ecclesiam. Archiepiscopus Senonensis Præfulum nomine Regi gratias egit, adjungens præconis voce factas esse denunciations ecclesiasticæ jurisdictioni contrarias: quarum revocationem posceret. Rex ore reposuit suo non esse factas se volente aut conscio, nec probari sibi. Archiepiscopus subjecit, Præfules correctioni quorundam errorum, de quibus querimoniam fuissent motæ, tam bene providisse, ut Regi cæterisque Dominis satisfaceret. Denique supplicabat Regi, ut responso clariore Præfules solaretur. Petrus Cugniarius ejus nomine subjunxit: Si corrigenda corrigitis, Rex usque ad futurum Christi Natalem (erat anni spatium) expectabit. At vero, si hoc intra tempus id omittitis, adhibebit remedium Deo ac populo gratum. Ita dimissi Præfules abierunt. Petrus Bertrandus erat, qui ea, quæ hoc in negotio facta fuerant, conscripsit: magnas-
A a 2 que

Sæcul. XIV. que retulit laudes tanquam præclarus
A. C. 1329. defensor jurium Ecclesiæ.

Dubreuil.

Antiq. p. 27.

Pasq. Rech.

liv. 3. c. 33.

Contra Petrus Cugniarius in tantum Cleri odium incurrit, ut per ludibrium vocaretur Magister Petrus Cuneolus, per hujus nominis applicationem ad parvam figuram ridiculam in quodam angulo Parisini Dominae Nostræ templi positam, & comprehensam aliqua inferorum imagine, quæ erat ad claustrum odei sub pulpito. Monstrabatur usque ad ætatem nostrorum patrum trecentis annis post actionem.

§. VI.

Viri Apostolici ad Ortum missi.

v. Baudr.

Geogr. to. 2.

p. 299.

Rayn. n. 94.

n. 96.

Fratres Prædicatores Minoresque identidem mittebantur ad Ortum; ut liquet ex pluribus Papæ litteris exeunte hoc anno, & ineunte proximo scriptis. Teflide in Georgia novam sedem episcopalem constituit, tradiditque Viro ex Ordine Prædicatorum Joanni Florentino, qui noverat regionem, verbique divini sementem jam ibi haud incassum sparserat. Diploma datum est 19 Oct. 1329. Quidam Princeps Hungarus nomine Jerretanus a Papa petierat Episcopum, qui populum ipsius, vicinosque doceret, ac in fide confirmaret contra ethnicos ex
 omni

omni parte finitimos. Misit ei Thomam *Sæcul. XIV.*
 Episcopum Seniscantinum, in regione *A. C. 1329.*
 jam cognitum. Epistolam dedit 29
 Sept. Dein 2 Nov. Elchigadano Princi- *n. 97.*
 pi Tartaro scribens, gratias, quod is *Vad. n. 15.*
 Christianos protegeret, agebat, commen-
 dabatque Viros Apostolicos, nominatim
 Thomam Mancasolium ex Ordine Præ-
 dicatorum Episcopum Seniscantinum.
 Hic Princeps in epistolæ inscriptione di-
 citur Imperator Tartarorum Corasanæ,
 Turchestanæ, ac Industaniæ. Non ta-
 men fuit Magnus Tartarorum seu Mogo-
 lum Canus jam Bagdetiæ, jam Sultaniæ
 residens. Is, qui tum vivebat, erat Abu- *Bibl. orient.*
 said Bahadur, regnavitque ab anno 1317 *p. 32.*
 usque ad 1335.

In principio anni 1330 Papa recentes *Rayn. 1330.*
 Christianos regni Usbechini per litteras *n. 55.*
 hortabatur, ut perstarent in fide, nec fa-
 miliaritatem periculosam jungerent cum
 ethnicis, inter quos viverent. Commen-
 dabat simul eis Episcopum Thomam
 Mancasolium ac viros Apostolicos Ordinis
 Prædicatorum. Dabat 22 Jan. *n. 56.*
 Postridie scripsit Albortinorum montium
 novis pariter Christianis Magistros po-
 scentibus. Mittebat illis Guilielmum
 Cigium Episcopum Tauresinum cum
 Dominicanis: & aliam per epistolam eo-
 dem die 23 Jan. scriptam hos Viros com-
 mendabat Marforiano Patriarchæ Jaco- *n. 57.*
 bitarum.

Sæcul. XIV. bitarum. Per eundem Thomam Anti-
A. C. 1330. stitem Seniscantinum, ac per Jordanum
 Columbi in insula Ceilania Episcopum
 mittebat Pallium Joanni Corcio itidem
 Dominicano, cui recens contulerat archie-
 piscopatam Sultaniæ, & cujus Suffra-
 ganei erant hi duo Præsules. Litteras
 dabat 14 Febr.

n. 55.

At non profecti sunt tam cito: quia
 per aliam epistolam 8 Aprilis scriptam
 urbis Columbi Christianis (Nascarini no-
 minabantur) commendabat eundem Jor-
 danum Catulanum Fratrem Prædicato-
 rem, quem proxime, ait, fecimus Episco-
 pum, & ad vos mittimus cum Religiosis
 ejusdem Ordinis, atque cum Fratribus
 Minoribus. Papa his cunctis in missio-
 nibus, quod notatu dignum, mittebat E-
 piscopos, quos ea tantum de causa con-
 secrari jusserat, probe gnarus Ecclesiam
 sine Episcopo haud posse stare aliquam.

§. VII.

Beatus Odoricus Forojulienfis.

Hos inter Evangelii præcones ex Ordi-
 ne Minorum haud omittendus est
 Beatus Odoricus Forojulienfis, forsan
 maximus omnium peregrinator. Natus
 in loco, qui Portus Naonis dicitur, pri-
 ma in adolescentia nomen Ordini Mino-
 rum

Boll. 14.
Jan. to. I.
p. 983.

rum dedit: ubi corporis afflictationibus ^{Sæcul. XIV.}
ac demissione animi excellens officia, ad ^{A.C. 1330.}
quæ electus erat, recusabat. Sub an-
num 1314 Deo animas jungendi deside-
rio stimulatus permissu Præsidium suo-
rum ethnicos adire statuit: & postquam
se mari nigro commiserat, Trapezuntem
advenit. Tum Armeniam Majorem, Tau-
resium, Sultaniam petiit æstivam sedem ^{p. 986.}

Imperatoris Perfarum sive Mogolum. ^{Sup. lib. 93.}
Postea in Indiam & Ormusium delatus ^{§. 28.}
conscensa navi per Oceanum venit ad o-
ram maritimam Malabariæ, ad promon-
torium Comorinum, ad insulas Javam &
Ceilaniam. Demum penetravit in Chi-
nam & Tibetum: ubi per Fratres sui Or-
dinis fuisse pulsos dæmones, ac multos
falsorum Numinum cultores ad Christum
adductos ait. Non refert distincte se i-
psum tam felicem sumpsisse operam:

quanquam illi, qui scripserunt vitam ejus,
generatim dicunt eum supra viginti mil-
lia ethnicorum vitalibus aquis abluisse. ^{p. 984. c. 1a}
^{n. 2.}

Post sexdecim annos itinerum anno
1330 in Italiam reversus Pisas se contu-
lit, ut incenso navigio Avenionem veni-
ret, descripto statu Orientis petiturus a
Papapro Tartaris Viros Apostolicos, nem-
pe quinquaginta Fratres Minores va-
riis e provinciis, qui proficisci cum ipso
vellent. Sed Pisis agentem adorta mor-
bi vis in agrum Forojuliensem natalis

Sæcul. XIV. A.C. 1330. coeli gratia redire coëgit, & Utini consumpsit 14 Jan. 1331. Tribuuntur ei vivo & mortuo multa miracula: & in patriarchatu Aquilejensi tanquam Sanctus colitur.

§. VIII.

Nicolaus Liranus.

*Vad. 1290.
n. 50.
& Script.
p. 265.*

Inter celeberrimos Doctores ex Ordine S. Francisci tum temporis erat Nicolaus Liranus sic dictus ob patriam suam Normanniæ oppidum ad amnem Rife- lam, Ebroicas inter & Sagium. Parentibus Judæis ortus Rabinis operam dare coeperat: sed Christo adjunctus Fratrum Minorum vestem induit in cœnobio Vernolino sub annum 1292. Post aliquot annos delatus Lutetiam, & ibi Theologiæ Doctoribus annumeratus sacras litteras in grandiore sui Ordinis monasterio diu explicavit. Lingua Hebraica, quam teneris ab unguiculis didicerat, & Rabinorum lectio magnum ei adjumentum ferebant ad intelligendum divini codicis sensum litterarium nimis neglectum eo tempore: quanquam sit fundamentum omnium reliquorum sensuum mysticorum & moralium: ut ipse notat.

*Prolog. 2. in
pestil.*

Itaque

Itaque ad exponendos libros divinos per omnem vitam suam se applicans composuit maxima duo volumina; breves scilicet commentarios, sive, ut illa ætas vocabat, Postillam perpetuam in totum codicem sacrum, quæ in editionibus prælo subjectis juncta est interpretationi, sive, ut ajunt, Glossæ ordinariæ per Valfridum Strabonem quingentos abhinc annos confectæ; atque librorum omnium veteris ac novæ legis explanationem: cujus in fine memorat se absolvisse illam Parisiis anno 1330. Obiit autem 23 Oct. 1340: ut docet ejus epitaphium in majore cœnobio Franciscanorum, ubi humatus est.

Sæcul. XIV.

A.C. 1330.

Edit. Paris.

an. 1590.

Sup. lib. 48.

p. 42.

§. IX.

Ecclesia Hispanica.

Interim duo Alphonsi, Septimus Castiliæ, & Quartus Arragoniæ Reges curabant Papæ tradi petitionem, in qua dicebant: Statuimus ethnicis inferre bellum: & ut ex sententia succedat, certas pactiones conflagimus. Cum vero regnorum nostrorum reditus ad sustinendos præter onera consueta sumptus bellicos non sufficiant, tibi, Sanctissime Pater, supplicamus, ut nobis per decem annos concedas omnium in regnis nostris proventuum ecclesiasticorum decimam,

A a 5 intra

Sæcul. XIV.
A.C. 1330.

intra quinquennium tamen in antecessum solvendam; præterea fructus primi anni beneficiorum, quæ intra hoc quinquennium vacaverint; ac tertiam partem cæterorum quatuor annorum. Denique addebant: Indigenæ, qui olim dignitates sacras & beneficia possidebant, ardore fidei majorumque suorum exemplis animati talia bella adibant ipsi; de ære suo alebant copias; & magna Regibus officia præstabant. Nunc hæc beneficia conferuntur exteris, qui nihil cogitant, nisi pecuniam inde perceptam suos in loculos, aliasque in regiones mittere. Flagitamus igitur, ut hos extraneos alio transferas; & quæ tenent, beneficia, indigenis tribuas.

n. 45.

Papa Regum Legatis in conclavi primum suo, tum in senatu aures præbuit; ac Regi Castiliæ sic respondit: Postulationes tuas esse inusitatas invenimus; neque similes vel nostra vel antecessorum ætate factas audivimus, ne pro generali quidem ad terram sacram transitu. Præterea non ignoras has pensiones fore intolerabiles regni tui Clero hodie hujusmodi oneribus oppresso. Quocirca in postulata tua consentire haud possumus, quin offendamus Deum, ac servitium ejus minuamus: præsertim, cum in quadriennium duas partes tertiæ decimarum reparandis templis reservatæ

tæ haud pridem tibi permiserimus. Da-
bat hanc epistolam 5 Febr. 1330. Faci-
lior erat Regi Arragonum cum Mauris
Granatensibus gerenti bellum. Hujus
Principis fratrem Joannem Alexandriae
Patriarcham honorarium, & Tarraco-
nensis Ecclesiae Administratorem jussit
curare, ut contra illos sacrum classicum
caneretur in Arragonia, Valentia, Cata-
lonia, Sardinia, & Corfica. Decimas ad
biennium eidem Regi concessit ea lege,
ut hoc in bello multas observaret condi-
tiones fusc declaratas in ipsius litteris po-
stremo Maji datis.

Sæcul. XIV.
A. C. 1330.

n. 46.

§. X.

Roma se Papæ demuo submittit.

Multæ interea urbes Italiae, nomina-
tim Roma redierunt ad obsequium
erga Papam. Romani præter submissio-
nem anno priore illi præstitam per Le-
gatos Avenionem missos coram eodem
& Cardinalibus agnoscebant, ad eum so-
lum, quoad viveret, pertinere dominium
Urbis; ac se graviter deliquisse recipien-
do Ludovicum Bavarum, ac permitten-
do, ut ibi coronaretur Imperator, Petrus-
que Corbarius in Antipapam eligere-
tur. Exponebant eo se adactos esse per
tyrannidem prementis se Jacobi Colu-
mnæ cognomento Sciarræ, ac per falla-
ciam

Sup. fib. 93.
§. 60.

Rayn. n. 41.

Sæcul. XIV.
A.C. 1330.
ciam Marsilii Patavini. Tum Legati offerrebant Papæ litteras claufas, & aliquod scriptum: quod lectum indicabat Romanos de culpis in Papam ac Ecclesiam commissis plurimum dolentes suppliciter flagitare veniam & absolutionem a censuris cæterisque pœnis in capita accitis sua; & diserte rejicere acta omnia Ludovici Bavari & Antipapæ. Igitur Romanis ignovit Papa; ut liquet ex ejus litteris exaratis 15 Febr. 1330.

§. XI.

Petrus Corbarius adducitur ad Papam.

Rayn. 1330.
n. 2.

Eodem tempore curabat Papa, ut caperetur Petrus Corbarius, & schisma extingueretur. Itaque 1 Martii rem commisit Archiepiscopo Pisano, Antistiti Florentino, ac electo Episcopo Lucensi Guilielmo Dulcino de Monte Albano ex Ordine Prædicatorum. Paulo post comperit Antipapam esse in potestate Bonifacii Comitis Donoratici: quod divinæ providentiæ adscribebat impediendi, ne ille Ecclesiam turbare pergeret, si aliam in regionem se conferret. Idcirco Comitem, ut eum Summam ad Sedem ducendum dimitteret, hortabatur commonstrans pericula, quibus ipse se exponeret,

neret, nisi pareret. Epistolam dabat 10 Sæcul. XIV.
Maji an. 1330. A.C. 1330.

Episcopus Lucensis hoc negotium a- *Vitæ Pap.*
gitabat cum Comite Bonifacio: qui *to. I. p. 144.*
principio præcise negabat Antipapam in
suis esse manibus: sed per plura cum il-
lo amicisque colloquia de malis, quæ sibi
domuique suæ accerferet, edoctus tan-
dem statuit virum tradere; & hac de
re litteras ad Papam dedit: cui Antipa-
pa ipse scribebat his verbis: Sanctissi- *Rays. n. 3.*
mo Patri & Domino Papæ Joanni frater
Petrus Corbarius omni poena dignus, &
prostratus ad ipsius pedes. Audieram
te hæresis argui tam atrociter, ut præ-
cipiti audacia sacram ad sedem inique
ascenderem. At in Pisanum territorium
delatus, cum has accusationes sedulo
perquisivissem, deprehendi earum falsita-
tem: & id, quod contra jura tua de con-
silio improborum feceram, vehementer
dolui. Argumento est completum anni
totius spatium, postquam relicto sponte
tuo adversario sacram mihi sedem arroga-
re desieram. Constituo mecum firmiter
eam abdicare Pisis, Romæ, ac ubicunque
id me agere Sanctitas tua jufferit. Fi-
niebat petendo veniam.

Papa rescripsit: & primum quidem *n. 4. 5.*
texerat epistolam, in qua ei exprobra-
bat admitta crimina, ut eum deprimeret,
&

Sæcul. XIV. & ad pœnitentiam acerbio-
A. C. 1330. leret: sed illam non misit; confecitque
 aliam clementiæ ac solatii plenam; qua
 eum animabat, ut bene cœpta perfice-
 ret, atque celeriter se ad ipsum confer-
 ret.

n. 7. Comes Bonifacius, antequam virum
 traderet, ei cavît a Papa: qui promisit
 fore, ut ei faceret vitæ gratiam, & ad
 victum annum ter mille florenos aureos
 daret. Litteras scripsit 13 Julii, sicut
 etiam mandatum ad Pisanum Archiepis-
 copum, ut eum absolveret a censuris.

n. 9. Festo die S. Jacobi 25 ejusdem mensis
 Petrus adhuc Pisis commorans ejuratio-
 nem publice fecit suam coram Archiepis-
 copo Simone, Guilielmo Lucensi Epis-
 copo, ac Raymundo Stephano Papæ
 Nuncio & Ministro a Secretis. Errata
 & crimina sua cum dolore animi con-
 fessus absolutionem a censuris omnibus,

n. 26. in quas inciderat, accepit. Deinde 4

Vita PP. to. 1 Aug. Pisano in portu cuidam ex Provin-
p. 144 & 712 cia triremi impositus tradebatur Papæ
J. Vill. l. 10. Nuncio, qui hanc ob causam cum præsi-
c. 164. dio armatorum missus fuerat. In Pro-
epist. ap. vincia urbem Nicæam 6 Aug. Avenio-
Vad. n. 8. nem 24 ejusdem mensis advenit. Cun-

Cont. Nang.
to II. Spic.
p. 747.

ctis in locis nobilibus, per quæ transibat,
 palam fatebatur errores suos: populus
 tamen ut Antipapæ diras ei pœnas im-
 precabatur. Igitur Avenionem intrabat

in

in veste profana, non ausus in sua com-
parere.

Sæcul. XIV.
A. C. 1330.

§. XII.

*Petrus Corbarius errata ejurat
sua.*

Postridie suum adventum, nempe die
sabbati 25 Aug. 1330 aderat in se-
nato publico coram Papa & Cardinali-
bus. Quo melius spectaretur ab omni-
bus, erectum pro illo pegma fuerat: quod
conscendit religiosa sui Ordinis veste in-
dutus: & coepit loqui pro themate su-
mens filii prodigi verba: *Pater! peccavi*
in caelum & coram te. Tum fatebatur ac
ejurabat cunctos errores, in quos dela-
psus esset accipiendo titulum Papæ, ac
Ludovici Bavari, & Michaëlis Cæsenatis
partes sequendo. Sed, ut erat defatiga-
tus itinere, tristitiaque ac pudore obru-
tus, præter strepitum præsentium, defe-
cit eum vox, nec poterat absolvere ser-
monem suum. Papa & ipse verba facie-
bat, & quidem de officio boni pastoris,
ut ad gregem reducat ovem perditam.
Cum Petrus de pegmate descendisset, fu-
nem circa collum gerens ac solutus in
lacrymas Papæ ad pedes accidit: qui
dempto fune sublevatum ad oscula suo-
rum pedum, manuum, & oris admisit
multis

Rayn. n. 12.

Luc. 15. v. 18

n. 13.

Sæcul. XIV. multis mirantibus. Postea incepit hy-
A.C. 1330. mnum Ambrosianum : quem postquam
 Cardinales ac cæteri continuaverant,
 rem divinam solenni ritu confecit in ac-
 tionem gratiarum.

Reliqua Petri confessio dilata est in
 sextam Septembris : qua rursus præ-
 sens, sed in conclavi secretiore Consilii
 pontificii, dicebat in hanc sententiam.
 Etsi jam Pisis fecerim publicam ejuratio-
 nem meam, & absolutus fuerim : volo
 tamen iterum fateri ac ejurare delicta
 mea coram Sanctitate tua & sacro colle-
 gio Cardinalium. Primum proinde con-
 fiteor, cum Ludovicus Bavarus advenis-
 set Romam, Ordinis Minorum Ministrum
 Provinciale, tuumque Legatum Joan-
 nem Cardinalem Diaconum de S. Theo-
 doro mihi Fratribusque cæteris in urbe
 illa hærentibus palam, ut inde abiremus,
 mandasse sub anathematis poena, si mo-
 rem non gereremus. Remanebam ta-
 men, etiamsi adesset Ludovicus cum
 multis aliis schismaticis ac hæreticis : ne-
 glectoque interdicto, quo urbem juste
 affecerat, divina officia sæpius perage-
 bam.

Deinde, postquam Ludovicus ibi co-
 ronatus Imperator te publicam per sen-
 tentiam abdicato, in Papam me aut po-
 tius in Antipapam elegerat : decipi me
 patiebar credebamque orantibus cum illo
 plurimis

n. 14.
v. PP. p. 145.

plurimis Romanis Clericis laicisque, qui Sæcul. XIV.
A.C. 1330.
ab Imperatore Papam gradu moveri, & alium ei suffici posse aiebant. Ita per ambitionem damnandam consensi hanc in electionem; atque me consecrari a Jacobo antea Castelli Episcopo, coronari autem a Ludovico Bavaro sinebam: ad quem tamen hoc jus non pertinebat; immo ne tum quidem, si verus & ille Imperator, & ego Papa fuissetus. Præterea Cardinales falsos, ac totidem munerum Præfectos, quot Papa verus habere solet, creavi: de sigillo mihi providi: meumque ac Ludovici statum, sicut etiam Michaëlis Cæsenatis dogmata falsa melius ut confirmarem, per plenam potestatem meam rata habui, ea quæ Ludovicus statuerat contra te tuasque decisiones de paupertate Christi. Sic factum est, ut in hæresim a te damnatam caderem.

Adhæc Regibus ac Principibus mittebam litteras, in quibus multas tibi calumnias aspergens, te a Ludovico & a me exauthoratum dicebam monebamque illos, ut ne obedirent tibi, aut in ulla re faverent, sed ut nobis contra te ferrent suppetias. Romæ multisque aliis in locis Clericos seculares ac Religiosos ad persolvendum officium divinum compuli contra tuum interdictum. Eadem in urbe & alibi Ecclesiis imposui

Sæcul. XIV.
A. C. 1330.

tributa, quorum nomine calicibus eas & ornamentis spoliabam suis. Ademptas multis catholicis dignitates sacras & beneficia hæreticis ac schismaticis conferebam, plerumque per mercatum sacrilegum. Gladium sacrum profanumque adhibui contra Fratres Minores Michaëlem Cæsenatem non agnoscentes suum Ministrum Generalem, vel observantes interdicta per te aut tuos pronunciata. Noxarum condonationes, ac legum gratias faciebam Supremæ Sedi reservatas. Quibusdam in locis de patrimonio S. Petri aliquid alienavi ad tempus, & aliquoties in perpetuum. Agnosco hæc acta omnia esse irrita ex penuria potestatis; eaque revoco, quatenus possum. Cæterum fidem eandem teneo, quam Romana Ecclesia, & tu, Sanctissime Pater, colitis ac docetis.

p. 151.

Papa dein absolutum in Ecclesiæ sinum recepit, reservans sibi arbitrium pœnæ congruæ viro irrogandæ. Confectæ sunt eodem die tabulæ publicæ de tota re: ac Petrum Corbarium Papa leniter comiterque admisit ad pœnitentiam. Securitatis tamen gratia, & sinceritatem mutati animi experturus honesto inclusum carceri ut amicum tractari, & custodiri ut inimicum voluit. Hæc sunt verba Bernardi Guidonis Lutevani Episcopi, qui scribebat tum temporis, &

Spoud. con-
tin. 1330. n. 7

& hic finiebat sua de Summis Præfulibus chronica Joanni XXII dedicata. Cubiculum, ubi Petrus asservabatur, erat sub ærario: eodem, quo Papa, cibo alebatur: habebat libros, quos legeret: sed nemini cum eo colloquendi copia dabatur: Sic vivebat annis tribus & uno mense; decessit poenitens, ac in veste religiosa honorifice sepultus est Avenione in templo Fratrum Minorum.

Sæcul. XIV.
A.C. 1330.

J. Vill. l. 10.
c. 64.

Vix Petrus in potestatem Papæ venerat: cum is tam lætum nuncium ad Præsules Principesque misit. Scripsit Hugoni Vefuntino Episcopo Parisiensi, ut eum cum Universitate communicaret. Scripsit Regi Philippo Valesio, quidquid factum erat ab ejuratione Pisana usque ad Avenionensem: ac eadem epistola missa est ad Reges Siciliae, Arragoniae, Castellae, Lusitaniae, Majoricae, Hungariae, ac Poloniae. Pisani & Comes Bonifacius magnam a Papa gratiam inierant tradendo Petrum. Denique Cardinalem Joannem de S. Theodoro suum Romæ Legatum voluit curare, ut ibi pro extincto schismate Deo grates in templis haberentur; & Romani ad Reges ac Principes scribendo improbarent omnia, quæ Ludovici Bavari & Antipapæ causa egerant.

Rayn. n. 26.

n. 27.

Sæcul. XIV.
A.C. 1330.

§. XIII.

*Promissa Ludovici Bavari reji-
ciuntur.*

Ludovicus agebat Monachii in Bava-
ria, ubi sustinere semper imperato-
riam dignitatem suam volebat, apud se
habens Michaëlem Cæsenatem, & Ja-
cobum Albertinum Episcopum Venetum,
qui se dicebat Cardinalem, & com-
mentitii Papæ Nicolai V Legatum in Ger-
mania. Tum Otto Dux Austriæ, Joan-
nes Luxemburgius Rex Bohemiæ, ac e-
jus patruus Balduinus Trevirensis Archi-
episcopus Ludovico reconciliare Papam
conabantur: ad quem propterea Lega-
tos mittebant cum epistola scripta pridie
Pentecostes 26 Maji. Ludovicus spon-
debat fore, ut relinqueret Antipapam;
retexeret suam ad Concilium appellatio-
nem cum factis contra Papam, & se me-
rito proscriptum agnosceret; sed ea con-
ditione, ut maneret Imperator. Papa
Bohemiæ Regi sic respondit: Ecclesiæ
nec prodest, nec convenit Imperator ju-
ste condemnatus ut fautor hæreticorum,
ac hæreticus ipse, receptor Marsilii Pa-
tavini, & Joannis Janduni, ac etiamnum
fovens Michaëlem Cæsenatem, Guiliel-
mum Ocamum, & Bonagratium Bergo-
matem

n. 28.

n. 34.

n. 30.

matem rebelles Fratres Minores. Quo-
modo talis Imperator posset religionem
protegere, & quale subditis præberet ex-
emplum?

Sæcul. XIV.
A. C. 1330.

Offert se ad exauthorandum Antipa-
pam suum. Sed hoc est offerre nihil:
quia, etiamsi esset Imperator verus, hæc
abdicatio ad eum non pertineret. Ad-
hæc Petrus Corbarius falso se munere
suo jam abdicavit ipse, quod nuper ad
nos sua perscripsit manu. Nimirum Pa-
pa hæc scribebat postrema Julii, ante-
quam Petrus abierat Pisis. Epistola con-
tinuatur: Offert se ad omittendam pro-
vocationem suam. Sed incassum appel-
lat hæreticus, & a Papa quidem, quo
superior est nemo. Denique clavum Im-
perii servare dum vult, monstrat se non
duci poenitentia, & quod consequitur, ab-
solutione indignum esse. Sed præterea
quo titulo gubernacula Imperii porro tra-
ctare cupit? Num ex jure jam possessio,
aut ex acquirendo novo? Nunc habet
nullum, quia per sui damnationem per-
didit illud, quod habebat forsitan: ac ne-
quit obtinere novum, quia eligi non
potest, ut tyrannus, sacrilegus, & proscri-
ptus. Papa concludit litteras exhortan-
do Regem Bohemiæ, ut Imperatorem al-
ium cooptandum curet.

n. 31.

n. 32.

n. 33.

Cum Rex denuo instaret Ludovici
Bavari causa; Papa 21 Sept. iterum re-
scribens,

B b 3

scribens,

Sæcul. XIV.
A.C. 1330.

ⁿ 37.
Sup. lib. 91.
f. 22. §. 30.
l. 92. §. 1.

Rayn. n. 38.

J. Vill. l. 10.
c. 170.

scribens, ingratum erga Supremam Sedem animum ei sic exprobrabat: In gratiam antecessoris nostri pater tuus e-
vectus est ad dignitatem imperatoriam. Reapse vidimus, quantum contulerit Clemens V ad electionem Henrici Luxemburgii. Continuatur litteræ: Atque idem Papa Trevirensis ad solium promovit illius fratrem, tuum patrum et si per ætatem ac doctrinam tum non idoneum satis. Hæc Papæ confessio memorabilis est. Demum minitatur Regi, se omissurum laxamenta legum, aliasque erga ipsum gratias, nisi deserat partes Ludovici Bavari. At his Papæ monitis neglectis Rex Bohemiæ hoc anno in Italiam consentiente Ludovico venit ut Vicarius Imperii.

§. XIV.

*Henricus Busmanus Moguntinus
Archiepiscopus.*

Rayn. 1329.

ⁿ 73.
Trith. Chr.
Hirs. an. 1328

Balduinus Luxemburgius Archiepiscopus Trevirensis tunc erat Germaniæ Præfulum potentissimus, utpote tres dioceses præter suam administrans. Cum Matthæus Moguntinus Archiepiscopus 10 Sept. 1328 e vita demigrasset, Papa huic sedi providere voluit, cujus collationem sibi reservaverat propter bella Germaniæ.

maniae. Moguntini tamen Canonici e-
 lecto in Archiepiscopum Gerlaco Collega
 suo, renuebant accipere Henricum Vir-
 neburgium pariter Canonicum, qui Mo-
 guntiam venit cum Papae diplomate lit-
 terisque commendatitiis 15 Martii anno
 1329 scriptis. Hinc nata est lis, quae
 triennio in Romana duravit curia. Nam
 Canonici appellabant a nominatione
 Henrici, quem multorum criminum
 arguebant. Interim delato Moguntiam
 Balduino administrandam, quamdiu va-
 caret, dioecesim, arcesque cum castellis
 tradidere. Quin etiam eum concorditer
 in Archiepiscopum postulaverant ante
 Gerlaci electionem.

Emichoni Spirensi Episcopo itidem
 abhinc biennium mortuo Papa suffecit
 Bertoldum Buchecium ex Ordine Teu-
 tonico: sed post anni spatium eum tran-
 stulit Argentinam: & Spirensis Eccle-
 siam, quoad careret Antistite proprio,
 administrandam Canonorum rogatu
 Balduino commisit; sicut etiam Worma-
 tianam vacantem ab obitu Cunonis seu
 Conradi Schenecii; cum ob divisa suffra-
 gia lis in Romana curia penderet. Sic,
 inquam, Balduinus Luxemburgius erat
 Administrator quatuor dioecesum, Tre-
 virensis, nimirum propriae, Moguntinae,
 Spirensis, & Wormatiana. Ulti-
 mam reliquit anno 1330: & Gerlacus

Sæcul. XIV.

A. C. 1330.

Bal. to. 1.

Miscel. p. 145

146.

Sæcul. XIV.
A. C. 1330.

Schenius Erpacensis alter competitorum Wormatiæ sedem obtinuit. Eodem anno Valeranus Comitis Veldentini filius juvante Balduino Spirensis cathedram accepit: & Henricus Virneburgius cognomine Busmanus suam Avenione causam tenuit, Papæ jussu consecratus Archiepiscopus Moguntinus. Possessionem adiit comite Geraldo Bisturio Andegavensis Ecclesiæ Decano, Papæ Nuncio ob id unum misso: ut docet mandatum huic impositum 30 Aprilis 1333: & Archiepiscopo Trevirensi abeundum erat. Administratio autem consistebat maxime in solvendis debitis, tuendis bonis profanis, & impediendis usurpationibus iniquis: quas ad res dexteritate maxima pollebat Balduinus Luxemburgius.

Rayn. 1333.
n. 19.

§. XV.

Michaël Cæsenas scribit Ordini suo.

Gold. Mon.
to. 2. p. 1236.

Michaël Cæsenas prior Minorum Minister Generalis sub præsidio Imperatores Ludovici Bavari erat Monachii: ubi epistolam scripsit ad universos Ordinis Fratres die Pentecostes comitia generalia Perpiniæ vel Avenione habituros. Scribebat autem die S. Marci 25 Aprilis anno 1331, & hunc in modum: Plurium Theolo-

Theologiæ Doctorum, aliorumque Ordinis S. Francisci Fratrum insignium tum Parisiis, tum alibi agentium epistolas accepi, per quas me hortantur, ut mox redeam ad unitatem Ecclesiæ Romanæ ac Ordinis, unde discessisse me ajunt: Ita credidi respondendum illis exponendo facti veritatem ex ordine. Anno 1328 cum Fratribus Raymundo Procuratore Ordinis, cum Petro Pratenfi Ministro provinciae S. Francisci, & cum Laurentio prima donato laurea Avenione coram Domino Papa Joanne aderam. Post plures sermones alios affirmabat sæpius comitiorum generalium Perusinorum sententiam de paupertate Christi esse hæreticam. Approbarunt eam omnes Ordinis Doctores atque Baccalaurei Parisienses & Angli. Affert argumenta ejus: tum addit:

Igitur hanc Papæ assertionem doctrinæ catholicæ, ac nostri Ordinis professioni manifesto contrariam videns illi *refuti in faciem*, ut S. Paulus S. Petro fecit: & contendebam comitiorum sententiam esse catholicam. Deinde me jussit hære in aula sua. Ego, ne recantanda mihi esset comitiorum sententia, bono utens consilio appellabam a Papa Joanne ad Sanctam Ecclesiam Romanam nomine meo, Fratrumque omnium, qui se mihi jungere vellent. Sic me subduce-

Sæcul. XIV.
A.C. 1331.

Sup. lib. 93.
S. 46.

L. 92. S. 59.

Gal. 2. v. 11.

Sæcul. XIV. bam obedientiæ alioquin ei præstandæ:
A.C. 1331. sic, nequa mihi communio cum illo esset,
 cavebam ad exemplum catholicorum
 de Clero Romano, qui Papæ Anastasii
 consortium fugerunt (pro argumento fa-
 cti hujus Michaël affert capitulum Gra-
 tiani, quod nunc habetur falsum) & ad
 exemplum SS. Anastasii ac Eusebii cæ-
 terorumque Papæ Liberii jussa abnuen-
 tium, denique Hilarii Pictaviensis Papam
 Leonem devitantis. Papæ Liberii la-
 pfus nimio plus, quam velimus, certus
 est. At S. Hilarius Pictaviensis seculo
 antecessit S. Leonem: & S. Hilarius A-
 relatensis, qui cum hoc sancto Papa con-
 troverfias habuit, nunquam se ab eo dis-
 junxit.

Dist. 19. c.
Anastaf v.
to. 4 Conc.
p. 1277.

Sup. l. 13.
§. 46.
Lib. 27. §. 4.

Matth. 10.
v. 23.

Michaël pergit: Cum Papa Joannes
 me ac mihi adhærentes exagitaret, ut
 perimeret, Pifas me contuli de consilio
 Christi, ut in tali casu ab urbe in urbem
 fugeremus. Ibi una cum Doctoribus
 Theologiæ aliisque Ordinis Fratibus ex-
 imiis divulgavi provocationem meam, &
 ad Papam Joannem misi. Secundum
 leges & canones generalis, ad quod pro-
 vocaveram, Concilii est cognoscere de
 hac materia, in qua Papam hæresis ac-
 cusatum Concilio subjectum novimus:
 & is, a quo appellamus, non est Judex
 provocationis; sed ille, ad quem hæc di-
 rigitur. Nihilominus Papa Joannes in
 causa

causa sua Judicem se constituens pro re-
 sponso ad appellationem meam edidit
 sanctionem his inceptam verbis : *Quia*
vir reprobus; in qua primos errores suos
 pertinaciter defendit, clarius explicat, &
 novis auget.

Tum recenset Michaël hos, quos per-
 hibet, errores Papæ in duodecim capi-
 ta digestos. Christus ut homo eo, quo
 conceptus est, puncto temporis, accepit
 a Deo dominium universale rerum om-
 nium profanarum. Progressu tempo-
 ris obtinuit speciatim dominium victus,
 calceaminum, vestium, & crumenæ suæ.
 Nunquam suavit discipulis, ut profanarum
 rerum omnium dominium abdicarent.
 Non aliam vitæ regulam Apostolis, aliam
 discipulis dedit, quorum aliqui erant di-
 vites, veluti Josephus ab Arimathæa.
 Ejus inhibitio, ne Apostoli pecuniam ge-
 starent vel calceos, solum contingebat
 tempus missionis ad promulgandum Ev-
 angelium. Apostoli speciatim ciborum,
 calceaminum, ac vestium suarum domi-
 nium habuere, etiam post descensum Spi-
 ritus Sancti. Poterant communiter ac
 privatim possidere fundos, ac bona im-
 mobilia. Nunquam nuncuparunt votum
 abdicandi dominium rerum profanarum :
 ac hujusmodi bona persequi judicio po-
 terant. Bona communia, quæ Christia-
 nis pro indigentia sua Hierosolymæ di-
 vide-

Sæcul. XIV.

A. C. 1331.

Sup. lib. 93.

p. 54.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7. 8.

9.

10.

11.

vide-

Sæcul. XIV. videbantur, fiebant cuique propria post
 A.C. 1331. distributionem. Votum Religiosorum
 omne dominium ejurantium non com-
 prehendit res ad vitam necessarias. En
 hæreses Pápæ Joannis XXII, quas Mi-
 chaël Cæsenas vocat. In reliqua episto-
 la conqueritur generale ministerium sibi
 abrogatum per comitia Parisiis die Pen-
 tecostes anno 1329 celebrata, & vitia de-
 creti demonstrare studet.

Art. 4. v. 35.

12.

Sup. 1. 93.

S. 51.

§. XVI.

*Michaël Cæsenas damnatur in comitiis
 Perpignanensibus.*

Nihilominus id confirmatum est in co-
 mitiis Perpiniæ pariter die Pente-
 costes habitis, qui hoc anno 1331 erat
 decimus nonus Maji. Fiebat ibi edi-
 ctum ejusmodi: Ut noster charissimus
 Frater Pastor antea per Saluviorum ter-
 ram Minister Provincialis ad nos retulit:
 Michaël Cæsenas, Henricus Chalemus,
 Franciscus Asculensis, Guilielmus Oca-
 mus, & Bonagratus Bergomas dissemi-
 narunt hæreses, ac schismata crearunt.
 Michaël in loca varia misit scripta, quæ
 legimus, & quæ continent errata se-
 quentia: Imperator potest gradu move-
 re Papam: eandem potestatem habent
 Clerus populusque Romanus: &, quod
 conse-

Rayn. 1331.

n. 15.

n. 16.

consequitur, facinus contra Sanctissimum ^{Sæcul. XIV.}
 Patrem nostrum Papam Joannem XXII ^{A. C. 1331.}
 Romæ commissum erat legitimum. Hi
 quatuor Fratres adhærebant Antipapæ
 Petro Corbario: & Pisis cum eo com-
 morabantur. Michaël se dicens Ordinis
 nostri Ministrum Generalem Fratres no-
 stros jussit ab Antipapa ecclesiasticas di-
 gnitates accipere: & accipientium con-
 secrationi omnes quatuor adfuere. Or-
 dinis nostri ac Ecclesiæ discordiam au-
 gere pro viribus conantur, in omnem
 partem scribentes, ut alios ab obedientia
 Papæ ac Generali Ministro præstanda a-
 vocent. Exagitant Fratres obsistentes
 sibi: ut constat in Bavaria, vicinisque re-
 gionibus. Fratrem Conradum Mona-
 censem antea Custodem provinciæ per
 ministros Ludovici Bavari capiendum
 jam curarunt, ac tormentorum vi adegere-
 runt, ut ab unitate Supremæ Sedis sal-
 tem verbis suis descisceret.

Hæc crimina diutius tolerando im-
 pares, salvis SS. Patris nostri Domini Pa-
 pæ judiciis hos quinque Fratres Michaë-
 lem, Henricum, Franciscum, Guiliel-
 mum, & Bonagratium palam & ex for-
 ma Juris declaramus hæreticos, schis-
 maticos ac percussores suorum Fratrum;
 privamus omnibus privilegiis ac societate
 Ordinis nostri, & ad perpetuum carce-
 rem condemnamus.

§. XVII.

Sæcul. XIV.
A.C. 1331.

§. XVII.

*Geraldus Odo Fratrum Minorum
Minister Generalis.*

n. 89.

Novus Ordinis Minorum Minister Generalis Geraldus Odo simul scribebat Michaëli Cæsenati, confutans ejus epistolam 25 Aprilis datam. Id scriptum plus injuriarum quam rationum continet: ac inter alia ibi Odo ait: Quis est ille Clerus Romanus, cui te dicis adhærere? Qui Avenione, qui Romæ, qui toto in orbe catholico est, obedit Papæ Joanni. Sed is, qui Savonæ agit sub Vicario, ut vocas, tuo Berengario Bochuffio, falso Archiepiscopo Genuensi, obsequitur Antipapæ seu Satanæ. Ubinam ergo est Romana Ecclesia, ad quam tu provocas? Dic, si nosti, quo translata fuerit. Et postea: Vis ardere studio servandæ ad litteram regulæ, ac exactæ paupertatis: & tamen in Monacensi cubiculo tuo pecuniam tenes, & tradis Fratribus, quos ad negotia mittis tua; ita, ut Franciscus Asculensis tuæ culpæ socius, Como Monachium proficiscens octoginta florenos portaret secum; quos ei ademerunt prædones invitum docentes observare regulam. Sæpe etiam per orbem mittis Fratres juvenes, solos, ac

perfo-

n. 14.

personatos, gerentes gladium & pecuniam, omni tentationum generi expositos. Dabat Perpiniani post decretum comitiorum generalium.

Geraldus Odo Avenionem reversus Papæ obtulit petitionem tria continentem capita: Ut revocarentur omnes, quas Summi Præsules fecissent, declarationes regulæ S. Francisci, quippe pugnantibus cum ejus voluntate in testamento exposita. Ut Papa veluti ex mente S. Francisci declararet Ministros posse laxare mandata regulæ ad levandam facilius Fratrum anxietatem. Denique, ut ne præceptum abstinendi a tactu pecuniæ obstaret, quin Fratres per hominem interpositum acciperent aliquam pro indigentia infirmorum: atque ut hæc vox *infirmas* inserta regulæ omnes corporis & animæ imbecillitates comprehenderet. Geraldus quatuordecim Ministros Ordinis adduxit, ut ipsius exemplo alii sponte, metu alii hunc libellum supplicem sigillis obsignarent suis. Papæ coram multis Cardinalibus eum tradidit Geraldus, existimans illi se placere, ac petasum sperans rubrum. Sic loquitur Alvarus Pelagius, qui tunc erat Avenione, atque petitioni, quantum poterat, se opposebat. Adjungit Papam ad Geraldum dixisse: Sic duo regulæ capita in diversum interpretaris: neque credimus

ex

Sæcul. XIV.
A.C. 1331.

Vad. 1331.

n. 10.

Alvar. Pelag. l. 2. c. 67.
fol. 168.

Sæcul. XIV.
A.C. 1331.

ex mille Ordinis Fratribus vel unum fore, qui hac in re sentiret tecum. Cardinales, qui aderant, has expositiones aduersari regulæ dicebant, irridebantque Geraldum omnes. Quidam eorum ad Alvarum, Certe, inquiebat, S. Franciscus hodie nobiscum erat, cum apud Papam essemus.

§. XVIII.

*Archiepiscopus Magdeburgensis
occiditur.*

Cranz. Vandal. l. 8. c. 13.

Per annos quatuor circiter Magdeburgum diuinis interdictum erat ob peremptum Archiepiscopum. Is fuerat Burchardus Comes Scrapelavius, vir pius & moribus bonis, sed attentus ad conseruanda Ecclesiæ suæ jura: quod gnauiter fortiterque agebat. Quapropter multa foris bella, multas domi contradictiones tam civium, quam Ecclesiæ suæ Ministrorum sustinuit: sed per constantiam vicit suam. Oderant eum cives, quod malam ipsorum voluntatem reprimeret: & hoc odium fovebant multæ calumniæ. Archiepiscopus iis a se cedendum ratus reliquit urbem: & Clerus eum suus sequebatur: quanquam illi, e quibus hic constabat, non æquale in Præfulem studium gerebant. Rediit is postea Magdebur-

deburgum rogatu civium, qui sincere re-
 conciliati cum eo videbantur, dictaque
 mutuo sunt juramenta supra sanctissimum
 Christi corpus.

æcul. XIV.
 A. C. 1331.

C. 14.

At recruduere dein offensiones. Per-
 hibebant illi eum violasse jusjurandum:
 includebant cuidam palatii cubiculo, ex-
 inde carceri obscuro profundoque, ubi
 catenis oneratum fame premebant. Hoc
 in statu eum ferme tribus detinebant
 mensibus nempe a festo die S. Joannis
 anno 1325 usque ad solenne S. Mat-
 thæi. Tum carcerem intrant delecti ab
 inimicis ejus quatuordecim homines in
 pari omnes vestitu & larvati, ut alter al-
 terum nequeant cognoscere. Manibus
 tenent clavas, magnosque clamores tol-
 lunt saltantes circa Præsulem cubantem
 & catenatum. Vibrant in tenebris cla-
 vas, quocunque incidant. Demum eo-
 rum quidam verendo capiti letalem im-
 pingit ictum. Saltum continuant illi,
 quamdiu dubitant, an extinctus sit Anti-
 stes. Cadaver pene anni spatio in car-
 cere jacebat, neminem habens sollicitum.
 Tandem aliqui cives eum ingressi scatere
 illud vermibus, & carnem fere consum-
 ptam esse videbant. Haud agnosci cor-
 pus poterat nisi ex plaga capitis. In me-
 dio templo metropolitano sepultum est
 graviter moerentibus viris probis.

Histor. Eccles. Tom. XXIII. Cc Papa

Sæcul. XIV.

A.C. 1331.

Rayn. 1326.

n. 8.

Bucel. to. 3.

p. 40.

Rayn. cod.

n. 7.

Papa comperta cæde Misniæ, Hildesfiæ, ac Naumburgi Episcopis mandavit, ut Magdeburgensem provinciam interdicto, percussores anathemate afficerent, ac pœnis ad posteros transituris. Merseburgensis Episcopus suis cum amicis arma capessabat, Metropolitæ sui necem ulturus. Ejus in locum Canonici cooptarunt suum Decanum Hardevicum Erpedium decrepitum senem. At poscendæ a Papa confirmationis gratia proficiscentem capiebat, & carceri mandabat Imperator Ludovicus Bavarus ex odio Papæ; mortuique Archiepiscopi Burchardi, qui ejus litteras contra ipsum in Germania promulgasset. Seni Decano paulo post intra carcerem vita functo Collegium per suffragia suffecit Comitem Stalbergium. Sed Hassiæ Comes Provincialis tunc Avenione cum conjugē sua commorans solum Magdeburgense pro filio ipsorum Ottone a Papa obtinuit, prætexta causa, quod Canonici sedem illam nimium diu vacare siverint: quamquam in culpa non erant. Comes Stalbergius debebat cedere fortiori.

Interim Magdeburgum de cæde Archiepiscopi Burchardi dolorem magnum Papæ Joanni significans, ut is interdictum tolleret, per Oratores petiit. Hi plures annos eam ob rem in Romana curia hærebant: & novus Archiepiscopus

pus Otto pro eis deprecabatur. Papa ^{Sæcul. XIV.}
 propter multitudinem fontium severita- ^{A. C. 1331.}
 tem canonum moderandam ratus satis
 habuit imperare, quæ sequuntur. Con-
 sules civesque Magdeburgenses condent
 facellum (adduntur ejus dimensiones)
 proxime locum, ubi occisus est Archie-
 piscopus Burchardus. Hoc in facello Sa-
 cerdos ab Archiepiscopo institutus quo-
 tidie rem divinam peraget pro anima
 Burchardi. Erit ibi lumen perpetuum,
 ac reditus annuus quadraginta octo flo-
 renorum aureorum. In Magdeburgensi
 templo principe erigentur quinque alta-
 ria, in quibus quinque Sacerdotes per-
 petuo sacrificabunt pro Burchardi ani-
 ma: & quælibet ara viginti quinque flo-
 renos aureos quotannis habebit. Ta-
 les autem floreni quatuor selibram ar-
 genti exæquant pretio. Postquam Ora-
 tores has conditiones acceperant, Papa
 cives Magdeburgenses exceptis Burchar-
 di percussoribus absolvit cunctis a censu-
 ris. Litteras dabat 21 Junii an. 1331.

§. XIX.

Episcoporum officia.

Papæ in Gallia commoratio, & amici-
 tia, quam cum Rege colebat, huic
 Principi dabat ansam poscendi ab ipso tot
 gratias, ut ille interdum ei denegandas

C c 2 crede-

Sæcul.XIV.
A.C.1331.

Gall. Chr.
to.I. p.592.

Ragn. 1331.
n.32.

crederet. Plura repulsæ exempla per hujus anni decursum invenio. Cum Guilielmus Durefortius 24 Nov. an. 1330 naturæ concessisset, vacantem archiepiscopatum Rothomagensem Rex petiit pro Guilielmo Maurofanensi suo Cancellario, qui erat ex dioecesi Tornacensi. Sed Papa per diploma 14 Decembris datum illuc transtulit Petrum Rogerium Senonensem Archiepiscopum: Regique conquerenti reposuit: Munia Episcopi multum differunt a Cancellarii functionibus: & vir his aptus non ideo illis idoneus est. Apud Carolum II Siciliæ Regem habuimus Cancellarii dignitatem, & hujus officia novimus. Episcopus debet suum gregem verbo divino pascere, per integritatem vitæ suæ ad probitatis studium excitare, quin etiam profanis juvare subsidiis. Debet noxarum discrimen callere, congruentia iis remedia applicare, extirpare vitia, plantare virtutes, offerre sacrificium, & administrare Sacramenta. Hæ partes Episcopi omnes longe distant a muneribus Cancellarii. Et postea: In congressu nostro dicebam tibi, ut memineris, non minus dexteritatis Episcopis, quam Cardinalibus esse opus: propterea sacra purpura ornabam virum, quem nolebam fieri Archiepiscopum. Epistolam dabat 25 Febr. 1331, monstrabatque, quam notionem episcopatus haberet

beret impressam animo. Colloquium, *Sæcul. XIV.*
 cujus mentionem infert, illud fuerit, ne- *A. C. 1331.*
 cessum est, quod mense Julio an. 1330
 cum Rege Philippo Valesio fecit, cum is
 a sacra peregrinatione, quam in Provin- *J. Vill. l. 10.*
 cia obierat, rediens Avenionem venit, u- *c. 162.*
 bi amplius octo diebus secretos cum
 Papa sermones contulit; neque comper-
 ta est horum materia. Guilielmo Mau- *Cont. Nang.*
 rofanensi Papa episcopatum Noviodunen- *to. II. Spicil.*
 sem solatii causa per nuncium obtulit: *p. 750.*
 sed ille non accepit.

§. XX.

Creatur Cardinalis.

Die Veneris intra octavam Pentecostes
 24 Maji Papa Cardinalem unicum
 decrevit scilicet Talerandum Episcopum
 Antiffiodorensem, & quidem rogatu Re-
 gis Philippi: ut indicat in epistola poste- *Bal. v. to. I.*
 ro die data; ubi adjungit: Concessimus *p. 169.*
 illi administrationem Ecclesiæ Antiffio-
 dorensis usque ad festum S. Magdalenæ
 pro sumptibus itineris sui: & oramus, *Bal. ibid.*
 ut consideres Cardinales omnino viginti *p. 770.*
 dari, & horum septendecim e Francia o-
 riundos esse.

Talerandus erat frater Comitis Petro-
 coricensis ex antiquissima illustrissima-
 que familia; & Elias nominabatur instar
 C c 3 parentis

Sæcul. XIV. parentis sui. Natus sub annum 1301 fe-
A.C. 1331. licissimam litteris, ac speciatim Juri civili
operam dederat. Creditur fuisse primum
Petrocoræ Archidiaconus: & liquet, per
diploma 8 Oct. 1324 scriptum a Papa in
locum Geraldii Rogerii Episcopi Lemovi-
censis Avenione mortui substitutum esse
Talerandum, etsi tantummodo quartum
vicefinum ætatis annum ageret. Sed
pro Lemovicis non consecratum Papa
anno 1328 Antissiodorum transtulit.
Appellavit hoc anno Cardinalem Pres-
byterum de S. Petro ad vincula: & die
Christi Natali Emericum Genandum An-
tissiodorensi cathedræ imposuit.

Rayn. n. 34.

Aliquo post tempore, cum Rex ac Re-
gina Franciæ Papam urgerent, ut Car-
dinalibus unum adjungeret Gallum, Joan-
nes Reginæ ita scribebat: Morem in
creatione Fratrum nostrorum Cardina-
lium observari solitum tibi cognitum vel-
lem. Nunquam ea fit privatim, sed in
senatu sacro post auditam omnium sen-
tentiam; ac ne tum quidem sine cau-
sa justa: qualis est illorum paucitas, vel
modica habilitas ad obeundas functiones
suas. Hæ causæ modo absunt: nume-
rum majorem æquo quam minorem di-
cere malim, si spectem illum, qui ante
tempus Clementis V fuit: dexteritas est
tanta, ut nobis haud sit opus senten-
tias aliorum poscere quærere. Cupere-
mus

mus etiam, ut cogites, quot Cardinales ^{Sæcul. XIV.}
 Galli hodie, quot aliis ex regnis sint. Nu- ^{A. C. 1331.}
 merabis Gallos sexdecim, sex Italos, Hi-
 spanum unicum. His cunctis ex ratio-
 nibus veriti, ut obtineremus consensum
 Cardinalium, Regis desiderium eis in-
 dicandum non duximus. Dabat 26
 Septembr.

§. XXI.

Quæstio de visione beatifica.

Hoc anno 1331 incepta dicitur illa de
 beatifica visione quæstio, quæ tan-
 tum excitavit strepitum sub reliquo pon-
 tificatu Joannis XXII. Festo Sanctorum ^{Rayn. n. 43.}
 Omnium die concionem habuit, in qua ^{Et c.}
 agebat: Sanctorum remuneratio ante ad- ^{Bal. I. vit.}
 ventum Christi erat sinus Abrahæ: post ^{p. 788.}
 illius natalem, cruciatus, & ascensio-
 nem in coelum usque ad iudicii diem
 Beati pro mercede sunt sub altari Dei,
 nempe sub præsidio & consolatione hu-
 manitatis Christi. Sed post iudicium e-
 runt supra altare, scilicet supra Christi
 humanitatem; quia non hanc solam, ve-
 rum etiam ejus divinitatem, ut est in se,
 spectabunt: nam cernent Patrem, Fi-
 liumque, ac Spiritum Sanctum. Hanc
 ipsam Papa doctrinam repetiit in sermo-
 ne, quem dixit eodem anno tertia sacri
 Adventus dominica, & addebat: Ingens
 C c 4 gaudium

Sæcul. XIV. gaudium est videre in cœlo Christum
A. C. 1331. gloriosum, *in quem desiderant Angeli pro-*
I. Pet. I. v. 12 *spicere.* Sed hoc gaudium non erit ple-
 num ante diem iudicii. Tum Domina
 Nostra, Apostoli, cæterique Sancti intra-
 bunt in gaudium Domini sui. Quæ ver-
 ba non favent sententiæ de SS. Virgine
 una cum corpore assumpta in cœlum, si
 ponamus eam non visuram esse divinam
 gloriam nisi post generalem animarum in
 corpora reditum, iudiciumque ulti-
 mum.

p. 789.

Apol. 6. v. 9.

Cont. Nang.
p. 753.
Ocam. Com-
pend. error.
c. 7. p. 970.

Eandem doctrinam Papa tradidit in
 sermone tertio, quem pronunciavit in
 vigilia Epiphaniæ 5 Jan. 1332. Funda-
 bat vero suam opinionem in loco Apo-
 calypseos, ubi S. Joannes dicit a se con-
 spectas esse sub altari animas Martyrum.
 Nam secundum interpretationem seu
 Glossam, ut vocant, ordinariam, cujus
 magna tunc erat autoritas, altare est
 Christus, sub quo esse dicuntur animæ, ut
 cognoscantur esse sub ejus præsidio: quæ
 sunt Papæ verba. Hi sermones ma-
 gnos movebant strepitus: multorum in-
 de offensio nata: & inimici Papæ, velu-
 ti Michaël Cæsenas & Ocamus, haud
 omittebant illos redarguere, atque hanc
 opinionem in numero creditarum hære-
 sum ejus ponere. Qui excusare Papam
 volebant, hanc eum propositionem non
 ut dogma certum, sed duntaxat ut opi-
 nionem

nionem protulisse ajebant, fatentes, si Sæcul. XIV.
 asseveranter ea defenderetur, non facile A.C. 1331.
 purgandam fore a nota hæresis. Hæc
 autem offensio, quæ initio grandis fue-
 rat, sensim lenita est: ac per biennium
 vix ejus mentio fiebat.

§. XXII.

Agitantur consilia belli sacri.

Exeunte hoc anno 1331 cœpti etiam
 sunt motus ad bellum sacrum; quod
 altius repetendum est. Raymundo Hie- *Rayn. 1329.*
 rosolymæ Patriarcha Latino in Cypro *n. 94.*
 insula, ubi residebat, mortuo Papa hunc *Cont. Nang.*
 titulum anno 1329 contulit Petro Dela- *p. 741.*
 palo ejusdem Prædicatorum Ordinis Do-
 ctori celebri: qui Avenione tunc agebat;
 & sub initium Julii profectus est cum
 Episcopo Mimatensi Legatisque Regis
 Cyprii, qui abducebant Comitissæ Clari-
 montani filiam Regis Domini sui filio
 nupturam. In Massiliæ portu se mari
 commiserunt una cum multis aliis e Cy-
 pro Hierosolymam pietatis causa transire
 cogitantibus. Novus Patriarcha Ægy- *Rayn. 1331.*
 ptium ad Sultanum missus est, ut rescir- *n. 30.*
 sceret, an posset inveniri modus recipien- *Cont. Nang.*
 dæ terræ sacræ. Avenionem reverso, *p. 755.*
 Regemque adire paranti Papa tradidit
 epistolam 14 Febr. 1331 scriptam, qua
 Regem ad deliberationem de iis, quæ Pa-
 triar-

Sæcul. XIV.
A.C. 1331.

triarcha retulisset, habendam hortabatur, se cum Cardinalibus itidem hac de materia consultaturum spondens.

Receptos postea Leonis Armeniæ Regis Legatos ad Regem Philippum Valesium misit cum litteris commendatitiis 20 Sept. datis. Poscebant illi suppetias Armeniæ conservandæ gratia, promebantque consilia, quæ impugnandis Saracenis idonea putabant. Petrus Delapalus Sultani obstinationem Regi exposuit coram multis Præsulibus Proceribusque, qui adeo commovebantur, ut ferme una omnes voce consentirent in transitum ad Palæstinam recuperandam. Rogatus igitur per epistolam a Rege Papa, ut sacrum bellicum juberet cani, ad Hierosolymæ Patriarcham ac Episcopos Franciæ universos scripsit in hanc sententiam.

Rex Galliæ Philippus terram sacram Saracenis adimere a longo jam tempore cupiens, decrevit mare trajicere intra biennium, si a futuro mense Martio id tempus ordiamur. Quapropter præcipimus, ut per totam Franciam tu Patriarcha per te ipsum, vos Archiepiscopi, cæterique Præfules, in sua quisque dicecesi, per vos aut per alios sacram populis suadeatis militiam, & crucem detis Christianis omnibus, quos sua pietas eam induere jusserit, & quos ad id molimen habiles

biles censueritis. Tum imperat, ut cun-
 ctis in templis quavis hebdomade divi-
 num sacrificium hunc in finem solenniter
 peragatur una cum precibus peculiaribus
 per litteras designatis: quas dabat 5 De-
 cembri. Unde patet Regem prius con-
 siliium non cepisse in senatu habito Chri-
 sti Domini natali die: ut credidit Joan-
 nes Villanus.

Sæcul. XIV.
 A.C. 1331.

L. 10. c. 198.

Rogatu Regis ac Reginae Gallorum
 Papa die Veneris 20 Decembris Petrum
 Bertrandum Augustodunensem Episco-
 pum, qui ad querelas Petri Cugniarii re-
 spondendo specimen sui dederat, declara-
 vit Cardinalem Presbyterum de S. Cle-
 mente. Pariter Gallus erat: & nemo
 tunc alius sacra purpura ornabatur.

Bal. vit. to. r.
 p. 170. 782.

§. XXIII.

*Papa se Bononiam venturum
 spondet.*

Interim Papa vulgabat se transiturum in
 Italiam, ac Bononiæ fixurum sedem,
 ubi opportunius & sedare turbas regio-
 nis, & trajectum maris promovere posset.
 Cardinalis Bertrandus Pojetus Episcopus
 Ostiensis, & Papæ in Lombardia Legatus
 Bononiæ residens per sedulam solertiam
 suam effecit, ut 10 Jan. 1332 Bononien-
 ses Ecclesiæ Romanæ ac Papæ, quod se
 intra

J. Vill. l. 10.
 c. 207.

Sæcul. XIV. A.C. 1332. intra spatium anni aditurum Bononiam, & sua cum curia ibi mansurum per litteras promisisset, se dederent sine alia conditione, quam ut libertatem fervarent suam. Ob id pactum Legatus coepit Bononiæ arcem magnam & firmam construere mœnibus contiguam, Papæ sedem fore perhibens. Aliud pro se ipso castrum interius in urbe condidit ex multis civium domibus; & illic se post adventum Papæ habitaturum dixit. Tandem palatia designavit cunctis Cardinalibus reliquis incolenda. Sed ex eventu credebatur hæc omnia fecisse per callidam dissimulationem, ut exstrueret arcem, ac Bononienses magis in obsequio contineret. Ipsi consentiebant ob spem habendi apud se Romanam curiam, quæ seditaret omnes. Legationem igitur solemnem mittebant Avenionem: offerebant Papæ dominium suæ urbis, & ut ante præfixum tempus adveniret, orabant. Is comiter Legatos habuit, ac Bononiensium submissionem Ecclesiæ nomine accepit, in publico senatu illis promittens sæpius, se intra spatium unius anni Bononiam certo venturum esse. Sed verba dabat.

§. XXIV.

Papa edit mandata contra Fratricellos.

Fratricelli seu Fratres Minores schismatici variis in regionibus pergebant rationibus suis consulere: ut liquet ex Pape decretis hoc anno & priore factis. Aquisextano Archiepiscopo, Suffraganeis ipsius, & Provinciæ Inquisitoribus 21 Jan. 1331 Papa præcepit, ut plecterent illos, qui Christum & Apostolos solum facti usum habuisse contenderent jam condemnati per litteras *Quia quorundam*; eosque, qui Marsilii Patavini errores a Petro Corbario ejuratos adhuc defenderent. Sexto decimo Februarii eodem anno edidit simile mandatum contra Fratricellos seu Bisquos, qui in Italia, Sicilia, Provincia, in dioecesibus Narbonensi ac Tolosana hæerent; quasi Ordinis approbati homines conventus agerent, Præfides sibi eligerent, simul habitarent, publice stipem peterent, & omnia facerent per contemptum edicti *Sanda Romana*. Volebat eos singulis diebus dominicis ac festis palam denunciari ab Ecclesiæ corpore sejunctos, ac puniri etiam per Magistratus profani vindictam sociam. In Italiæ parte Australi erat alia

Rayn. 1331.

n. 1.

Ibid. n. 4.

n. 6.

Sæcul. XIV.
A. C. 1332.
alia secta hominum se dicentium Fratres vitæ pauperis, & pro capite habentium quendam Angelum nomine ex Valle Spoletina virum plebejum, ac pæne illiteratum. Celebrabant conventus: ubi ferebant errores varios, promulgabant falsas indulgentias, & confessiones audiebant quanquam laici. Papa Episcopo Melfino, ac regionis Inquisitoribus, ut eos plecterent, imperabat per litteras 22. Nov. 1331 datas.

Rayn. 1332.
n. 30.
Joanni Præposito Ecclesiæ Vicegratinæ Pragensis diœceseos mense Januario 1332 mandavit, ut inquireret in quosdam Fratres Minores, qui dogmata Summæ Sedis decisionibus ac edictis contraria in Germania disseminarent. Erant probabiliter sectatores Michaëlis Cælenatis. Papa jubebat eos capi, & bona sub custodia ærarii Apostolici sumptibus ad se mitti puniendos.

Rayn.
1332. n. 20.
Regina Neapolis Sanctia in S. Francisci Ordinem propensissima commentitios Fratres Spirituales, quorum aliqui eam deceperant, defendebat a Ministro Generali Geraldo, & illos, qui huic submissi manebant, exagitabat. Rex Robertus conjux ejus per litteras Papæ conquestus est Geraldum modum agendi cum duobus illorum rebellium, scilicet cum Petro Cadenetino, & Andrea Galiano. Papa reposuit: Haud oblitum, te credimus,

mus, illud, quod pridem ac sæpius ad nos scripsisti, nempe Petri Cadenetini as-
 fiduitatem cum Regina tibi suspectam esse ac odiosam, quia malam huic doctrinam traderet, ut ipsa fateretur; nec sperare te, Reginam tibi aut nobis obsecuram, quamdiu audiret hunc hominem. Itaque petebas, ut eum ab illa removeremus. Andreas vero Galianus manifesto fautor est ac sectator Michaëlis Cæsenatis; ac præterea vehementer suspectus de hæresi ac schismate.

Nec nos, nec te in tam indignis rebus connivere decet: atque si Regina inuisum sibi Geraldum aspergere infamia velit, ipse ac fideles ei Fratres se purgandi causa regionibus variis denunciabunt inviti, Reginam favere schismaticis, & Ordinis desertoribus; undecunque venientibus tectum victumque suppeditare largiter; sed fidis Fratribus adversari. Nec vero patitur Geraldum, ac ne Præsules quidem & Inquisitores muneribus ipsorum fungi contra hæreticos: quin etiam ausa est e Præsulum manibus eripere litteras, quas de officio Inquisitionis ad eos scripsieramus. Dabat 13 Martii anno 1332.

Joanni quoque Badisio ex Minorum *Vading.*
 Ordine Massiliæ Inquisitori præcepit Pa-
 pa, ut infectaretur Valdenses reliquos in
 Pedemontio adhuc hærentes. Conven-
 tus

sæcul. XIV.

A. C. 1332.

Sæcul. XIV.
A. C. 1332. tus faciebant interdum numero quingenti circiter. Armati confurgebant contra Inquisitorem regionis Albertum Castellarium Dominicanum: necarunt quendam Parochum, a quo se illi denunciatos esse suspicabantur: & Albertum ipsum in castello quodam obsidebant ita, ut regionem relinquere cogeretur. Caput eorum erat Martinus Pastrius; qui naturæ divinæ cum humana conjunctæ mysterium, & veram Christi sub speciebus Eucharisticis præsentiam impugnabat. Effugerat Inquisitores, quotquot in Pedemontio per annos viginti fuerant: sed tandem comprehensum Badisus in carcere detinebat. Idcirco ei Papa imperabat, ut illum captivum ad Albertum mitteret, ut is hominem cæterosque hæreticos anquirere posset, immo tormentis, si foret opus, subicere. Dabat 6 Julii.

§. XXV.

Alvarus Pelagius.

Vad. to. 3.
Regest.
p. 322.
Id. Script.
p. 15.
De planctu
& ult.

[Inter studiosissimos Papæ Joannis XXII defensores contra Fratres Minores schismaticos fuit Alvarus Pelagius Hispanus ejusdem Ordinis Religiosus, Coronensis in Morea Episcopus a Papa renunciatus per diploma 16 Junii hoc anno 1332 datum. Avenione die S. Mariæ ad Nives

Nives 5 Augusti eodem anno absolvit suum opus magnum de Planctu Ecclesie coeptum an. 1330 in eodem loco, ubi residebat ut Papæ Pœnitentiarius. De-
 dicavit illud Petro Gomeſio Cardinali Presbytero de S. Praxede.

Sæcul. XIV.

A. C. 1332.

Bal. vit. to. I.

p. 765.

Planct. l. I.

c. 13.

Audi, quomodo ibi loquatur de Summi Præſulis potestate! Papa toto in orbe habet jurisdictionem universalem secundum res sacras & profanas: etsi potestatem gladii & jurisdictionis civilis debeat exercere per legitimum Imperatorem suum filium cæterosque Principes. Ac deinde: Papa Reges regnis, & Imperatorem imperio privat. Et iterum: Anima corpori, res sacrae profanis sunt præferendæ: igitur cui commissæ sunt priores, illi multo magis concredi debent alteræ, quæ tantum sunt accessio. Præ-
 terea Christus S. Petrum constituens suum Vicarium non divisit jurisdictionem suam, sed omnem, quam habebat, illi contulit, nihil hinc excipiens.

Sup. lib. 93.

s. 55.

Imperatores ethnici nihil unquam juste possederunt, si vox *justitia* theologice accipiatur: quia, qui Deo se non vere submittit, sed opponit per cultum falsi Numinis, aut per hæresim, nihil sub eo revera possidere potest. Igitur ethnicorum regna juste recepit Ecclesia, cujus erant prius, & cujus injuria fuerant ab illis usurpata: nam ex jure divino ad

Histor. Eccles. tom. XXXIII.

D d Ju

Sæcul. XIV. Justos pertinent omnia. Et postea:
A. C. 1333. Quisquis Imperatorum ab Ecclesia Romana non accepit gladium, non est legitime gladio usus. Propterea Constantinus S. Silvestrojus gladii restituens monstrabat eo se haud legitime fuisse usum, cum non accepisset ab Ecclesia. Ac rursum: Unctio est, quæ Reges facit, & quam accipere nisi a Sacerdote nequeunt: ergo quilibet Princeps ab ecclesiastico Judice debet accipere sui confirmationem, executionemque potestatis suæ. Ad omnes has propositiones Alvarus Pelagius divini codicis, Juris pontificii, ac Decretalium locos affert multos, quos doctis discutiendos relinquo. Atque ista satis indicant, quam tunc doctrinam curia Romana tenuerit. Alvarus postmodo translatus est ad Silvensem Lusitanæ cathedram.

Vad. 1340.
n. 11.

§. XXVI.

Michaëlis Cæsenatis epistola.

Gold. mon. Ineunte anno 1333 Michaël Cæsenas
to. 2. p. 1338. pro Ministro Fratrum Minorum Gene-
Sup. 6. 14. rali nunquam non se gerens epistolam
p. 1339. dedit inscriptam cunctis Fratribus Ordinis fidem catholicam, & regulam per votum susceptam observantibus. Repetit ibi maximam partem eorum, quæ duos abhinc annos scripserat: sed apertius efferve-

effervescit in Papam, quem duntaxat Jacobum Cadurcensem contemptim nominat. Sic vero loquitur: Siquid aliquis Papa docet aut decidit contra fidem catholicam, hoc ipso incurrit in anathema & jacturam dignitatis suæ, fitque quovis catholico inferior. Id contigit Jacobo Cadurcensi. In principio sui pontificatus docuerat, Christum & Apostolos abdicasse omne dominium rerum profanarum. At postea desipiens, & opum cupiditate cæcus quatuor sanctiones contulit fidei ac Evangelio contrarias. Ac deinde semper de Papa loquens: Ex doctrina hæretici hujus illud conficitur, Christum fecisse fucum, cum diceret: *Regnum meum non est de hoc mundo*, nempe non contingit res profanas, ut S. Augustinus explicat. Michaël in fine imperat cunctis Fratribus, ut hanc epistolam frequenter legant suis in cœnobiis, multa ejus exemplaria scribant, & pro viribus evulgent. Dabat Monachii 24 Jan. 1333.

Sæcul. XIV.
A.C. 1333.

p. 1343. l. 42.

In Joan.
tratt. II 5.
n. 2.

§. XXVII.

Iterata belli sacri consilia.

Interim Rex Philippus Valesius cum Papa de bello sacro agebat. Anno priorie die Veneris post festum S. Michaëlis

Cont. Nang.
p. 757.

D d 2

2 Octo-

Sæcul. XIV.
A. C. 1333.

Bal. vit. I.
p. 787.

Rayn. 1332.
n. 2.

2 Octobris Parisiis sacra in ædícula magnam habuit conventum, cui intererant Joannes Rex Bohemiæ, Rex Navarrae, Duces Burgundiæ, Britanniae, Lotharingiæ, Brabantiae, ac Borboniæ cum Præfulibus quibusdam, multisque Nobilibus. Ibi Petrus Delapalus Hierosolymæ Patriarcha honorarius efflictim orabat Regem, ut ipsum audiret de causa Christi loquentem coram tot Viris illustribus. Tum multas proposuit rationes, ob quas Rex transitum ad terram sacram deberet suscipere. Cuncti Præfules, qui aderant numero viginti sex, eadem de materia disserabant. Jungebant se his Barones, declarabantque se paratos pro causa tantæ vitæ & bonæ suæ periculis exponere. Rex votis annuens agebat sibi esse animum petendi terram sacram, & pro regni custodia relinquendi suum filium Joannem: cui ut obedientiam jurarent, precabatur: feceruntque sublatis sacras ad reliquias manibus. Papam quoque Rex per litteras rogavit, ut generalem in Palæstinam transitum promulgaret. Atque ut cum eodem inoliminis conditiones constitueret, Procuratores ac Legatos suos designavit Petrum Rogerium Rothomagensis Archiepiscopum, Joannem Viennensem Episcopum Tervanum, Guidonem Baudatum Decanum Ecclesiæ Parisinæ, Henricum Avalgurium, ac Petrum

trum Castellium Equites : quibus dedit Sæcul. XIV.
A. C. 1333.
potestatem suo nomine coram Papa ju-
randi fore, ut intra triennium primo Au-
gusti, nempe anno 1336 iter transmari-
num ingrederetur ac pergeret ipse, nisi
superveniret legitimum impedimentum,
de quo judicarent duo regni Præsules,
quos Papa deligeret.

Præcipua hujus pacti materia erant
decimæ, cæteraque subsidia per Papam
Regi concedenda pro sumptibus expedi-
tionis bellicæ. Qua de re Philippus in-
quiebat: Non patiemur hæc subsidia in
usus alios converti: atque si hoc fieret,
mox restituenda curabimus. Si tempore
præfixo non poterimus iter facere,
potestas colligendi subsidia protinus ces-
sabit: & quæ recepta fuerint, tradentur
quatuor Præsulibus, quorum duo a Sum-
ma Sede, totidem a nobis nominabun-
tur, ut illa custodiant, ac Sedis Supremæ
jussu distribuant. Ac deinde: Has pe-
cunias pontificii exactores non dabunt
nostri ærarii Tribunis, aut Quæstoribus
nostris, sed civibus, quos constituemus,
& qui eas fideliter asservatas secundum
jussa quatuor Præsulum distribuunt, iis-
demque quolibet anno æris expensi ta-
bulas exhibebunt: Præsules autem de
usu ejus ad bellum sacrum Papæ ratio-
nem reddent. Hanc gerendi negotii po-
testatem dabat 20 Martii an. 1332, scili-

Sæcul. XIV. cet anno 1333 ante Pascha; quod inci-
 A.C. 1333. dit in quartum Aprilis.

Vitæ PP.
 to. 1. p. 175.

Rayn. 1333.
 n. 3.

n. 7. 9. 10.

n. 11.

Papa Joannes auditis Avenione Legatis regiis, 26 Julii publicum habuit senatum; ubi promulgato generali ad Palæstinam transitu Regi Philippo summum imperium belli sacri & pro subsidio decimas Galliæ ad sex annos decernens, eandem ob causam ad idem sexennium totius Ecclesiæ decimas supremæ fedi reservavit. Hoc in senatu Legati Regis nomine jurabant factum iri, quod continerent litteræ procurationis: eodemque die 26 Julii scriptum est diploma complectens conditiones pacti inter Papam ac Regem expositas in litteris legationis. Plura eodem tempore diplomata Papa edidit, ut populis suaderetur militia sacra, & hujus privilegia enunciarentur. Sed supervacuum foret illa referre, cum iter omissum fuerit.

Unum tamen notandum video. Rex a Papa petierat, ut Galliæ Præfulibus liceret crucem induere, sine animo itineris faciendi, solumque ideo, ut alios ad crucis militiam ineundam inducerent. At Papa propositionem rejiciens, Deducet, inquiebat, in causa Christi, qui est ipsa veritas, fallacia uti, vel malum admittere, ut eveniat bonum. Metuimus, ne hæc simulatio divinam castigationem, ac tristem rei exitum accerferet: ut olim factum

factum creditur. Sed neque cum animo Sæcul. XIV.
A.C. 1333.
itineris aggrediendi accipere crucem
cunctos regni tui Præsules deceret:
possent inde magna incommoda Ecclesiæ
ac regno contingere. Scribebat 15 Sept.
Miror fuisse, qui crederent permissu Pa-
pæ fieri fucum posse.

Die Veneris post festum S. Michaëlis C. Nang.
p. 757.
3 Oct. 1333 Archidiaconus Rothoma-
gensis ex mandato Papæ Parisinos ad
bellum sacrum animavit in Prato Cleri-
corum prope abbatiam S. Germani. Pri-
mus crucem assumpsit Rex Philippus;
tum Hierosolymæ Patriarcha Petrus De-
lapalus cum Doctoribus multis & magno
insignium Virorum numero. Statutum
est, ut per regnum totum caneretur sa-
crum classicum; & omnes crucis milites
post triennium mense Augusto parati es-
sent ad inscendenda navigia.

§. XXVIII.

*Othmanni mors. Urchanus Turcarum
Sultanus.*

Ante omnes Musulmannos celerrime re-
pellendi videbantur Turcæ in Ana-
tolia habitantes, qui Græcis identidem
loca eripiebant. Primus eorum Sulta-
nus Othmannus Ortogruli filius, postquam
viginti sex annos regnaverat, decessit an-

*Sup. lib. 90.
n. 12.
Pococ. Supl.
p. 43.*

Sæcul. XIV. no Christi 1325, Epochæ Arabicæ 726,
 A.C. 1333. fuccefforem relinquens suum filium Ur-
 chanum: qui captam Prufiam Bithyniæ
Bibl. orient. urbem caput regni sui fecit, ac delubro,
 p. 693.697. collegio, domoque hospitali auxit. Oc-
 cupavit deinde Ifnicmid, seu Nicome-
 diam, Ifnic five Nicæam, multaue alia
 loca: Græcorum inter fe diffidentium
 imbecillitas his victorijs occasionem
 dedit.

§. XXIX.

Andronicus Senior obit.

Sup. lib. 93. **G**randævus Imperator Andronicus a
§. 56. nepote fuo victus anno 1328, au-
Nic. Grego. thoritate omni exutus, & Constantinopo-
ras l. 9. c. 14. litano inclusus palatio, sumpta monasti-
Cantac. l. 2. ca veste & Antonii nomine sic vivebat
c. 28. annis tribus ac dimidio usque ad idus
 Februarias anni 1332, quibus subito vi-
 tam posuit. Se pessime habens intem-
 pestiva noctis hora, qua portæ palatii o-
 mnes erant clausæ, sacrumque Viaticum
 afferri non poterat, surgebat e lecto, Deo
 gratias agebat, & pro salute animæ suæ
 supplicabat lacrymis totus diffluens: tum
 expromptam de sinu suo parvulam SS.
 Virginis imaginem indidit in os suum lo-
 co divinæ hostiæ, ac insidens lecto suo
 mox expiravit animam. Complebat an-
 num

L. 10. c. 1.

num ætatis septuagesimum quartum, & Sæcul. XIV.
 ab incepto regimine quinquagesimum. A. C. 1333.
 Excellens magnitudine corporis, ac oris
 specie magnam dignitatem simul & cle-
 mentiam præ se ferebat.

§. XXX.

*Joannes Aprius Patriarcha Constau-
tinopolitanus.*

Imperator Andronicus prioris nepos tunc
 agebat annum sextum trigesimum.
 Sequente anno 1333, antequam Constau-
 tinopoli abiret in Macedoniam, gesturus
 ibi bellum, providit patriarchali Ecclesiæ
 vacanti post extinctum nuper Isaiam.
 Cum viri multi commendarentur, Impe-
 ratori Joannes Cantacucenus Magnus
 Domesticus suus suadebat, ut Patriar-
 cham decerneret quendam Sacerdotem
 Joannem nomine, Apriæ, seu Theodosio-
 poli in Thracia natum obscuris parenti-
 bus, sed in functionibus ministerii sui so-
 lertissimum. Cantacuceni sacello dome-
 stico primum præfectus, paulo post ejus-
 dem opera Clero imperatorio adjunctus
 Imperatori tanto in pretio & amore fuit,
 ut is probaret Cantacuceni consilium, si
 dari effectui posset. Sed mox id rejece-
 runt Episcopi omnes velut compacto: &
 Imperator Magno Domestico suo rem
 commisit.

c. 7.
 Cantacuc. l. 2
 l. 21.
 p. 264.

D d 5

Hic

Sæcul. XIV.

A. C. 1333.

Hic brevi congregatis in templum Apostolorum Episcopis persuadere studebat, ut Joannem Aprium eligerent in Patriarcham. At obsistere pergebant; & nonnulli quidem ex eo potissimum capite, quod esset homo negotiis profanis implicitus, quippe qui uxorem ac liberos haberet domi. Nimirum Græci sinunt Sacerdotes quidem, non item Episcopos in connubio vivere. Cantacucenus reposuit fore, ut Joannes conjugii remitteret nuncium, si cæteroquin patriarchatu dignus reputaretur. Sed nihil agere se sentiens conventum solvit. Alium decem post diebus eodem in templo habens, Nolo vos adducere, inquebat, ut Joannem in patriarchale solium evehat, quoniam id vobis displicet. Sed videndum est, an non deceat aliam illi Ecclesiam regendam tradere, cum sit vir integer ac innocens. Annuebant cum gaudio Præsules nihil veriti; & Joannem declarabant Archiepiscopum Thessalonicensem: quia etiam hoc decretum scripto mandabant, quia Cantacucenus ita petiit.

Ut primum id habuit in manibus, agebat: Putate Imperatorem ad nos dicere: Post maturam deliberationem dignum episcopatu censuistis Joannem Aprium: quidni ex animi mei sententia fiat Patriarcha? quid responderemus?
qua

qua uteremur excufatione plaufibili? Num Patriarcha opus habet cœlefti quædam gratia vel poteflate, quam accipere reliqui non poffint Præfules? Non eft ita: omnes magnarum parvarumque urbium Epifcopi æqualiter participant gratiam: differentia fplendoris honorisque fedium pendet ab Imperatore, qui maiorem in urbem transferre potefl illum, qui civitatis minoris epifcopatu dignus eft habitus. Quid ergo nos juvat offendere Principem, ac excufationes tam frivolaf afferre? Hunc inter fermonem fe mutuo intuebantur Præfules utpote decepti: cumque decretum fuum retexere nequirent, Joannem inviti cooptarunt in Patriarcham Constantinopolis: qui paulo poft inauguratus fuit.

Illud, quod hoc loco Cantacucenus ait, omnes Epifcopos recipere gratiam æqualem, verum eft fecundum poteflatem in Ordinis natura pofitam: fed quantum ad difcrimen dignitatis & iurisdictionis attinet: ea non pendet a Principe, ut ille perhibet, fed a confenfu Ecclefie, & a confuetudine per canones confirmata. Verum eft: his in diftinctionibus Ecclefia regiminis profani ordinem fecuta eft plus authoritatis dando Epifcopis locorum, quæ jam erant metropoles. Verum item eft, Imperatores Græcos interdum ufurpaffe iura facra;

&

Sæcul. XIV.
A.C. 1333.

Sæcul. XIV.
A.C. 1333.

Greg. 1.9.
c. 14.

& Episcopos sæpe illis indulgisse nimium: at saltem observabantur formæ canonicæ: ac Episcopi non nisi per concilia eligebantur. Imperator Andronicus Palæologus, priusquam peterat Macedoniam, novo Patriarchæ Imperatricem conjugem ac liberos suos commendavit, illum cupiens post Deum esse tutorem eorum custodemque, si quis casus subitus publicis rebus interveniret. Atque hoc egit solenniter in templo S. Sophiae, Deum testem faciens.

§. XXXI.

Viri Apostolici ad Ortum missi.

Rayn. 1333.
n. 17.36.

Sub id tempus Constantinopoli redierunt duo Viri Apostolici, ambo Dominicani, Franciscus Camerinensis Italus, & Richardus Anglus. Avenionem delati ad Papam & Cardinales senatum habentes retulerunt. Imperatorem Andronicum Ecclesiæ Romanæ reconciliationem cupere: quæ nisi fieret, Imperio Constantinopolitano discrimen ab ethnicis instare. Papa, priusquam illos remitteret, ambos consecrari Episcopos voluit. Franciscum dixit Archiepiscopum Panticapæanum seu Bosphorinum in Gazaria Tartaris tunc obnoxia. Panticapæa sita erat ad fretum, quod veteres

res appellabant Bosphorum Cimmerium Sæcul. XIV.
inter Pontum Euxinum, ac Paludem A. C. 1333.
Mæotidem. Richardum Papa creavit
Episcopum Chersonæ, jussitque ibi con-
dere templum in honorem S. Clementis,
ac inibi sedem figere; quod sanctus hic
Papa crederetur ibidem pro Christi no-
mine mortem fortiter obiisse.

Hos duos Papa Præsules cum remit-
teret, dabat eis mandata de Græcis re-
conciliandis cum Ecclesia, & tres episto-
las; primam ad Imperatorem Androni-
cum; alteram ad Patriarcham, omnes-
que Græcos; tertiam ad Genuensem
quendam nomine Joannem, Imperatoris
Consiliarium. Epistolæ illæ generalia
tantum ad consensionem hortamenta con-
tinent, ac eodem omnes die sunt scriptæ
scilicet 4 Aug. 1333.

n. 18. 19.

Joannes Moncorvinus Cambali Ar-
chiepiscopus interim naturæ satisfecit,
postquam diu pro Deo laboraverat in Tar-
taria Majore, grandemque multitudinem
ethnicorum illi adjunxerat. Demortui
dignitatem Papa contulit Nicolao ejus-
dem Minorum Ordinis Religioso, quem
per Cardinalem Annibaldum Tusculanum
Episcopum consecrari, ac per duos Car-
dinales Diaconos pallio jussit indui. Ita
docet diploma 18 Sept. 1333 datum:
& per aliud 13 Febr. anno sequente scri-
ptum

Vading. eod.

an. n. 1. 2. 3.

Regest. p. 234

237.

Kayn. n. 31.

32. Etc.

Sæcul. XIV.
A.C. 1333.

ptum permisit, ut ille secum abduceret viginti Fratres Clericos, ac sex laicos ejusdem Ordinis. Commendatitias quoque litteras ei tradidit deferendas ad Magnum Canum, aliosque Tartarorum Principes.

Rayn. n. 42.

Sub idem tempus Papa edidit diploma, in quo magnam potestatem facit Dominicanis Evangelio ad Ortum ac Septem triones promulgando adhibitis: illius summam vide! Permittimus, ut illos, quorum baptisma est dubium, ex sanctione Juris sacro fonte tingatis dicendo: *Si es baptizatus, ego te non rebaptizo: sed si baptizatus nondum es, ego*

Extrav. de
bapt. c. 2.

3. part. q. 66.

a. 9. ad 4.

De consecr.

Dist. 4. c. 110.

III. Et.

te baptizo: & reliqua. Hæc Juris sanctio est quædam Alexandri III decretalis, & prima, quam sciam, autoritas pro baptismo sub conditione administrando; ac est pariter illa, quam S. Thomas hanc ad rem affert. Veteres a Gratiano citati hac cautione non utebantur, perbene gnari, Deum novisse animum nostrum, nec posse falli. Diploma pergit: Concedimus etiam, ut vestri Ordinis Episcopi alique cum Romana Ecclesia sacrorum communionem habentes regionum illarum Christianis, qui legitime non initiati functiones ecclesiasticas exercuerint, servatis, quantum sine offensione fieri poterit, intervallis Ordines minores, majoresque conferant. Dabat 3 Octobris.
Per

Per aliud diploma eodem die scriptum Sæcul. XIV.
A. C. 1333.
 permittebat, ut Catholici novi manerent
 matrimonio juncti cum cognatis & affi-
 nibus in quarto gradu: atque si fuissent
 ethnici, & ante receptam fidem conju-
 gati, concedebat hoc eis in quolibet gra-
 du per legem divinam non prohibito. C. Gaude-
mus. 8. Ex-
trav. de Di-
vort.
 Quam ad rem citat decretalem Inno-
 centii III.

§. XXXII.

Quæstio de visione beatifica.

Sopita videbatur, quæ abhinc biennium
 agitata fuerat, quæstio de visione bea- Sup. §. 20.
Cont. Nang.
p. 758.
 tifica. Sed hoc anno resuscitata acrius, A-
Duboulay
to. 4. p. 235.
 & opinio Papæ publice defensa fuit
 venione, præsertim per aliquot Cardina-
 les partim assentandi gratia, partim, ne
 displicerent. Nam Dominicanum quen-
 dam Anglum Thomam Vallesium nomi-
 ne contra hanc opinionem ex suggestu
 locutum mox carceri addixit Papa, eam
 non propugnari solum, sed & in tem-
 plis doceri cupiens. Et quia Parisiis a
 tota Facultate theologica rejecta erat,
 illam tuendi studium credebatur Papam
 impulsisse, ut eo mitteret duos Doctores,
 nempe Geraldum Odonem Minorum Or-
 dinis Ministrum Generalem, & Domini-
 canum quendam nomine Arnaldum Mi-
 chæli- Vad. 1333.
n. 12.

Sæcul. XIV. chaëlifanensem, suum Poenitentiarium.

A. C. 1333. Perhibebant tamen se missos esse agita-
tum pacis consilia inter Angliæ ac Sco-
tiæ Reges. Cum Parisios advenissent,
Geraldus coram innumeris Academicis
quæstionem tractans negabat Sanctorum
animas Deum visione beatifica spectatu-
ras esse ante reditum in corpora, & ante
judicii extremi diem. Fremebant Aca-
demici, & hunc errorem plectendum di-
cebant. Dominicanus Geraldus comes
Papam excusare voluit, seque non tene-
re hanc doctrinam, nec unquam tenuisse
dixit sacram concionem habens.

Rayn. n. 46. Papa ipse Regi Philippo, quem stre-
pitu per hanc quæstionem moto territum
sciret, hanc scripsit epistolam: Quan-
tum comperimus: excitasti Doctores a-
liquos, ut ab animabus sanctis ante redi-
tum in corpora divinam naturam clare
conspici docerent e sacris pulpitis: &
quosdam id facere renuentes acriter ob-
jurgasti. Ex aliis ut cognovimus, cre-
dimus firmiter: cum quidam se hanc do-
ctrinam populo in templo tradere non au-
furos dicerent, subjungebas, posthabito
metu omni veritatem palam enunciandam
esse. Nos autem, quia S. Augustinus,
multique alii Doctores sua sensa hac de re
variant, interdum in concionibus nostris e-
jus mentionem fecimus veritatis enu-
cleandæ causa; nihil ex cerebro nostro,
ied

sed divini codicis & Patrum verba proferentes. Et quia forsitan sunt, qui tibi dicant nos haud esse adscriptos Theologiae Doctoribus, vellemus te audire illa, quæ hac de materia locuti sumus, & scripsimus. Tradicimus ea Rothomagensi Archiepiscopo, ut tibi, si auscultares, eadem exponeret. Interim Doctores Parisinos moneri cura (sic oramus) ut minis nullis territi, quæ ad dilucidandam veritatem idonea judicaverint, fidenter eloquantur, donec Suprema Sedes aliud declaraverit. Dabat 18 Novembris.

Sæcul. XIV.
A.C. 1333.

Minorum Ordinis Minister Generalis, *C. Nang.* qui Parisiis erat, optime gnarus, quantæ *p. 759.* offensioni fuerit concio sua, & quantam ea molestiam Regi creaverit, huic illam excusabat. At Rex, ne subdolis ejus verbis circumveniretur, metuens, se coram doctis Theologis ipsi aures præbiturum reposuit. Itaque decem Doctores de scientissimis, qui tum Parisiis inveniri poterant, & in illorum numero quatuor ex Ordine Minorum accitos præsentem Geraldo rogabat, quid sentirent de doctrina, quæ is nuperrime populum imbuisset. Rejiciebant eam omnes, falsamque ac hæreticam declarabant: sed Geraldum ad suam sententiam perducere non potuerunt.

§. XXXIII.

E e

Hist. Ecclesiast. Tom. XXIII.

Sæcul. XIV.
A.C. 1333.

§. XXXIII.

Sententia Doctorum Parisiensium.

Cont. Naug.
p. 760.

Rex illo colloquio haud contentus post paucos dies in Vincennianum castellum suum nemore cinctum vocari iussit Geraldum & cunctos Theologiæ Doctores cum omnibus Episcopis & Abbatibus tunc Lutetiæ agentibus. Cum confedissent, Rex Gallice proponebat quæstiones duas, An Sanctorum animæ jam videant divinam faciem: & An hæc visio extremi iudicii die cessatura sit, ita, ut ei succedat alia? Ad primam respondebant asseveranter, addentes, hanc visionem non cessaturam eo die, sed perpetuo duraturam esse. Aliqui dicebant eam illo die fore perfectiorem: quod annuebat Geraldus sed invito similis, ut videbatur. Rex præsentem Doctores cunctos orabat, ut sententiam suam scripto traderent: & faciebant. Litteræ habebant viginti novem sigilla, nempe totidem, quot aderant Doctores: & scripta sunt tria exemplaria: de quibus unum Papæ Rex mittebat, postulans præterea, ut approbaret decisionem Doctorum Parisiensium, quippe qui materiam fidei melius intelligerent, quam Jurisperiti, cæterique Clerici theologicis in rebus pœne aut prorsus rudes ac hospites: se punitu-

niturum illos, qui contrarium tuerentur. *Sæcul. XIV.*
 Hæc sunt verba Monachi Dionysiofanen- *A. C. 1333.*
 sis scriptoris coævi, qui continuavit anna-
 les Guilielmi Nangiaccensis.

Habemus ipsas Doctorum litteras in- *Duboulay*
 scriptas Regi Philippo Valesio, ac præ *hist. un. to. 4.*
 se ferentes eorum nomina, nimirum Pe- *p. 236.*
 tri Patriarchæ Hierosolymitani, Petri *Launoi hist.*
 Rothomagensis Archiepiscopi, Guilielmi *Nav. to. 1.*
 Bernardi Cancellarii Parisini, Nicolai Li- *p. 61.*
 rani ex Ordine S. Francisci, aliorumque *Preuv lib.*
 undeviginti minus cognitorum. Do- *Gal. edit.*
 ctiores ajunt se a Rege Vincennas convo- *1651. c. 35.*
 catos in quartam Adventus sacri domini- *p. 1267.*
 cam (erat decima nona Decembris hoc
 anno 1333) per Regem jurejurando fuis-
 se adstrictos, ut sincere dicerent, quid
 sentirent de statu Sanctorum post obi-
 tum. Nominant Principes ibi tum præ-
 sentes, scilicet Philippum Regem Navar-
 ræ, Joannem in spem Regni Gallici ge-
 nitum Normanniæ Ducem, Ludovicum
 Ducem Borboniæ, Carolum Regis fra-
 trem Alenconii, & Guidonem Blesarum
 Comites. Tum nominatim appellant
 Præfules, nempe Guilielmum Archiepis-
 copum Auscitanum, & Guilielmum Lu-
 tetiæ, Andream Attrebatum, Guilielmum
 Convenarum, Petrum Rutenæ, Roge-
 rium Lemovici, Bernardum Anicii, Joan-
 nem Niverni, Guilielmum Ebroicarum
 Episcopos octo; ac Petrum Cluniaci,
 E e 2 Guido-

Sæcul. XIV.
A. C. 1333.

Guidonem Dionysiopolis, Petrum Germanopratensem, & Hugonem Corbejæ Abbates quatuor. Hi Præsules tantummodo testes agebant, nec instar Doctorum consulebantur, ut Patriarcha Hierosolymæ, & Archiepiscopus Rothomagensis.

Doctores pergunt, semper alloquentes Regem: Ut ex ore tuo audivimus, hac in materia petebas nihil, quod sanctum Patrem nostrum Papam Joannem (cujus servi fideles ac filii sumus) posset offendere; e contrario in hac & quavis alia re illius honori studes. Idoneis vero authoribus multis comperimus, eundem, quidquid hac super re dixerit, non affirmando, nec opinando, sed solum recitando dixisse. Et postea: Sententiam singulatim protulimus: sed inter nos omnes convenit hoc, quod sequitur. Post Christi mortem ac descensionem ad inferos cunctæ SS. Patrum animæ, quas e subterraneis ipsarum sedibus eduxit, aliæque recte credentium sine macula e corporibus egressæ suis, aut piacularibus plane purgatæ flammis pervenerunt ad claram, quam S. Paulus *a facie ad faciem* vocat, visionem divinæ naturæ ac SS. Triadis, perfectæque fruuntur divinitate: nec ista, quam nunc habent, visio post reditum in corpora cessabit, ut alii locum faciat, sed eadem manebit perpetuo.

Dehinc

Dehinc die festo S. Joannis Evange-
listæ Parisiis nos in unum congregasti lo-
cum: ubi tuo nomine rogati sumus, ut
coram te dicta scripto mandarem: &
quanquam supplicavimus, ut facto con-
tentus esses: ne tamen repugnarem
voluntati tuæ, has confecimus litteras.
Sequuntur nomina aliorum sex Docto-
rum, qui conventui Vincenniano interesse
nequierant, & qui se cum reliquis senti-
re declarant. Dabant in conventu ge-
nerali habito apud Mathurinianos 2
Jan. 1333, nimirum 1334 ante Pascha.

Sæcul. XIV.
A.C. 1333.

§. XXXIV.

Papæ declaratio.

Eodem tempore Papa convocatis in se-
natum publicum Cardinalibus legen-
dos dedit multos authorum locos de vi-
sione beatifica, quos opinionem suam partim
faventes, partim contrarios collegerat:
& lectio durabat quinque diebus, a fe-
sto SS. Innocentium 28 Decembris us-
que ad calendas Januarias. Tum accer-
sit Notariis dictavit declarationem se-
quentem: Nequis per malam interpreta-
tionem dicere possit, nos opinionem sa-
cris litteris ac fidei orthodoxæ adversam
habuisse: asserimus & affirmamus diser-
te, nos per omnia a nobis dicta, citata,

Bal. vit. to. I.
p. 176. 792.
Rayn. 1334.
n. 28.

E e 3 seu

Secul. XIV. seu proposita de quæstione, an animæ a
A.C. 1334. peccato poenisque peccati liberæ Deum
 a facie ad faciem secundum Apostoli
 verba videant, nihil divino codici aut fi-
 dei contrarium statuere voluisse. Siquid
 in speciem iis adversum in concionibus
 vel colloquiis nostris protulimus, id præ-
 ter mentem nostram fuit, ac expresse re-
 cantamus. Dabat 3 Januarii anno 1334.
 Nemo autem est, qui non tantundem
 dicat: quia nullus errantium ait se ha-
 bere animum violandi fidem.

Vading. Deinde Papa de Geraldo Parisios
1333. n. 1. misso se purgaturus Regi Philippo ita
Rayn. 1334. scripsit: Multi, ut epistola tua sonat, per-
n. 30. hibebant Geraldum a nobis missum, ut
 doceret, animas Sanctorum non visuras
 esse naturam divinam nisi post reditum
 in corpora. Coram Deo asseveramus
 nunquam illud in mentem venisse nobis:
 contra pro certo sumebamus, Geraldum
 exposita tibi provincia sua (intelligit pa-
 rtionem inter Angliam & Scotiam) &
 comperto, an idem ad negotium mittere
 quenquam velles, mox suum iter cum
 collega suo profecuturum esse. Sed Lu-
 tetiæ adhuc agentibus, procurator Regis
 Scotiæ indicavit, neque hunc Principem,
 neque virum alium, qui cum eis pacisci
 posset, in regno esse; ideoque frustra pro-
 fecturos. Id edocti nostros Nuncios re-
 vocavimus. Tu rem cognoscere poteris
 ex

ex ipso Procuratore illo, quem etiam ^{Sæcul. XIV.}
 num Parisiis hæere credimus. Dabat ^{A. C. 1334.}
 10 Martii anno 1334.

§. XXXV.

Papæ opinio consideratur.

Ex narratione historici Joannis Villani
 liquet, quam in partem orbis accepe-
 rit hanc Papæ opinionem. Audi, quo-
 modo ille loquatur! Insuper habitis his ^{L. IO. C. 2297}
 cunctis asseverationibus ajebant veluti
 certum, ac ex effectibus apparebat Pa-
 pam in hac opinione persistere. Nam
 quoties Doctor aliquis aut Præsul ei af-
 ferebat auctoritatem seu locum Patrum
 dictæ opinioni quodammodo faventem,
 lætis virum aspectabat oculis animi pro-
 pensis testibus, ac beneficium illi confere-
 bat. Hanc opinionem per Geraldum
 Minorum Ordinis Ministrum Generalem,
 Papæ popularem clientemque Parisiis e
 suggestu sacro traditam improbabant
 cuncti Theologiæ Doctores Parisini, Fra-
 tres Prædicatores, Augustiniani, & Car-
 melitæ. Rex Franciæ Philippus Geral-
 dum acriter objurgatum dixit esse hæ-
 reticum, & nisi palinodiam caneret, a
 se morti addictum iri tanquam Pateri-
 num, quia nullam in regno suo hæresim
 toleraret: atque, si Papa ipse hanc de-
 fende-

Sæcul. XIV.
A C. 1324.

fenderet opinionem, hæresis damnandum esse. Addebat ut laicus, sed bonus Christianus, frustra Sanctos rogatum, speratumque iri salutem per eorum merita, si usque ad diem iudicii non possent cernere divinitatem, nec perfectam in æterna vita habere beatitudinem: secundum hanc opinionem cunctas indulgentias ab Ecclesia concessas fore irritas; ac inde secuturam esse catholicæ fidei everfionem.

Villanus adjungit: Reges Philippus ac Robertus per litteras Papam culpabant comiter, ac edocebant, etiamsi hanc opinionem solum veritatis indagandæ causæ defenderet, decere Papam non movere quæstiones suspectas de defectu fidei, sed motas decidere. Hæc Regum monitio multum placuit Cardinalibus plerisque opinionem Papæ improbantibus; ac Regi Franciæ dedit ansam assumendi tantam auctoritatem in Papam, ut hic nihil ei denegare auderet. Ita passus est adduci se ad Italiæ inspectionem Regi committendam per pactiones, quas Rex Bohemiæ Joannes inceperat. Hæc Villanus.

Reapse non erat tam periculosa Papæ opinio, ut his Principibus persuadebatur. Indulgentiæ non fundantur in solis meritis ac precibus Sanctorum, sed potissimum in Christi meritis infinitis.

Atque

Atque si Sancti nondum tam perfecte viderent Deum, sicut eum cernent post generalem in corpora reditum, non inutile tamen foret eorum deprecationem flagitare, cum nos Sanctis commendemus etiamnum in terra viventibus.

Sæcul. XIV.
A.C. 1334.

Durandus Porcianofanensis celebris ex Ordine Prædicatorum Doctor, & tunc Meldensis Episcopus opinionem Papæ impugnavit; sed per authoritates divini codicis ab ipsarum sensu naturali adeo detortas, ac per ratiocinationes tam infirmas, ut inde nihil solidi concludi posset. Hoc scriptum misit Papæ: qui examinandum tradidit quibusdam Doctoribus; in quorum numero erat Cardinalis Jacobus Furnarius postmodo Papa. Inventos ibi errores volebant confutare per argumenta, quæ vix firmiora videbantur. Durandus inibi de S. Bernardo sic loquitur: Notandum venit, illum, etiamsi vir magni fervoris in sacris precibus & concionibus suis fuerit, non tamen gravis authoritatis fuisse in explicandis divinis litteris: quapropter eum hac in materia sequi aut relinquere licet.

Rayn. 1333.
n. 48. etc.

Sæcul. XIV.
A.C. 1334.

§. XXXVI.

*Nuncii a Papa Constantinopolim
missi.*

*Rayn. 1334.
n. 2. 3.*

*Niceph.
Gregor. l. 10
c. 8.*

Duo Nuncii, quos Papa Constantino-
polim miserat, hoc anno illuc adve-
nerunt, scilicet Franciscus Camerinus, & Richar-
dus Cherfonensis Episcopus. Ferebant
duas epistolas 22 Febr. datas, ad Impe-
ratorem Andronicum alteram, alteram
ad ejus conjugem Imperatricem Joan-
nam Sabaudia Ducis sororem: quæ in
catholicis sacris educata sociam præsta-
re operam posset, ut Imperator ejurato
schismate ad Ecclesiæ Romanæ finem
rediret. Itaque, ut cum Nunciis de re-
conciliandis Ecclesiis sererentur collo-
quia, postulabant multi de populo; quin
etiam Patriarcham eo impellebant. At
hic Præsul non versatus in eloquentia,
& magnam Episcoporum plerorumque
se stipantium inscitiam noscens utebatur
dilationibus, nec sciebat, quomodo seda-
ret commotionem populi. Putabat Ni-
cephorum Gregoram, tametsi non esset
Clericus, sibi hac de re consulendum,
quippe qui frequentem per usum dicendi
copia polleret. Is principio suadebat si-
lentium; & huic consilio firmiter insiste-
bat,

bat, magnitudinem animi, ac despicientiam provocationis Latinorum exhibendam ratus, quia de hac re loquendi necessitas nulla occurreret. Sed postea id silentium posse suspiciones incommodas movere considerans, ad Patriarcham & selectos quosdam Præsules privatim longum sermonem habuit, quem historiæ suæ magna cum cura inseruit.

Sæcul. XIV.
A. C. 1334.

Summa illius est hæc: Non permit-
tendum, primo cuique obvio, ut dispu-
tet cum Latinis. Hæc disceptatio re-
ferenda est ad finem aliquem, ac de Ju-
dice quodam consentiendum. Quia ve-
ro hic non habemus tertium, qui nos ju-
dicet, nostrum est id facere. Nam in-
ter partes convenit nostram doctrinam
esse bonam, nempe Spiritum Sanctum a
Patre procedere, atque illi soli asserunt
illud, quod noviter addiderunt, scilicet
eum procedere simul a Filio. Per hanc
regulam obtinerent causam hæretici o-
mnes, qui fidei caput aliquod detrahunt.
Gregoras pergīt: Cathedram S. Petri
memorant? Suam successionem veluti
nubem fulmina minantem extollunt?
Quidquid contra nos incognita causa
pronunciaverint, nos volunt exequi? Eo
majus odium sibi conflant, utpote digni-
tate sacræ sedis abusi, nulla sanctionum
cuncta per concilia stabilitarum ratio-
ne habita per voluntate sua decernendo.
Tum

Tum

Sæcul. XIV.
A. C. 1334.
Tum conqueritur, Latinos nimium niti
fyllogismis & dialectica. Nec vero nisi
ex regulis logicis argumentari sciebant
scholastici nostri. Contendit autem hoc
differendi genus in sensibus ac experien-
tia fundatum non habere locum in rebus
divinis intelligentiam nostram superanti-
bus. Adjungit, has quæstiones utrim-
que jam sæpius agitas esse, ita, ut cer-
tum sit Græcis, quid agere debeant. Ita
fentiens Gregoras non iniit disputatio-
nem: & nos Nunciorum itineris effectum
videmus nullum.

§. XXXVII.

Papæ Legatus Bononia pellitur.

Ragn. 1334.
n. 27.
In Italia consurgens in Papam Bono-
nia expulit Legatum Bertrandum Po-
jetum Cardinalem Episcopum Ostiensem.
Authores turbarum conspirantes popu-
lum ad seditionem concitabant clancu-
lum, multisque diebus continuis pulsari
æ campanum velut in casu trepidatio-
nis curabant. Tum congregati cives
Legatum nihil metuentem in arce, quam
intra urbem construxerat, obsidebant, at-
que per decem dies ibi tenebant inclu-
sum. Circumductis undique fossis, ut
ne intraret præsidium, sub gravibus pœ-
nis, ne vitæ subsidia illuc inferrentur,
veta-

vetabant, interim clamantes: Pereat Legatus! Intereant Legatus & Galli! Tandem ei paciscendum fuit, ut cum suis ex arce ac urbe discederet.

sæcul. XIV.
A. C. 1334.

Inter obsidionem effringebant carceres subjectos Episcopo Bononiensi Bertrando Acciajolo, & pontificio urbis Prætori: ac exules ob crimina cunctos revocabant. Irruebant in Papæ Nuncium Bertrandum Archiepiscopum Ebredunensem, in Episcopos Mirapici ac Bononiæ; in Abbates Nonantulæ, & Bononiæ ad S. Stephani, atque in multos Clericos laicosque Legato aut Ecclesiæ Romanæ addictos, ac libris, sacra facelli supellectile, vasis argenteis, vestibus, equis, armis, argento signato, rebus omnibus eos spoliabant. Injunctis in Episcopi palatium ignibus capiebant, quotquot invenire potuerant, Legati domesticos vel populares, nimirum Vascones: vulnerabant multos eorum, & aliquos trucidabant. Denique arcem a Legato magnis sumptibus exstructam funditus diruerunt.

Hunc in modum depulsus est Cardinalis hebdomade Paschatis, cum Legati munus totam per Lombardiam annis sexdecim circiter obiisset. Amissis bonis suis pæne omnibus ad Papam advenit die Pentecostes, qui hoc anno 1334 erat quintus decimus Maji. Quæstionem in Bono-

Vit. Pap.
to. I. p. 177.

Sæcul. XIV. Bononienses haberi voluit Papa: sed
A. C. 1334. longius progressurum mors abstulit.

§. XXXVIII.

Joannes XXII. obit.

Bal. vit. to. I.
p. 177. Agitabat simul difficilia duo negotia, electionem Imperatoris novi, & quæstionem de visione beatifica decidendam. Has aliasque ob causas indixit senatum in secundam Decembris 1334. At præcedente nocte post coenam correptus morbo die illa nihil agebat. Tertia mensis post cantatas preces vespertinas, quotquot erant Avenione, Cardinales accersi iussit: & comparebant omnes, si excipias duos, Joannem Cajetanum, qui ab urbe aberat, & Napoleonem Ursinum, qui huic actui interesse noluit. Aderant proinde Cardinales viginti numero: coram quibus legi curabat tabulas majusculis scriptas litteris, ac fere similes declarationi suæ tertia Januarii factæ. His in tabulis ait: Confitemur & credimus animas a corporibus sejunctas purgatasque in coelo ac sede beatitudinis esse cum Christo & Angelis, ac frui a spectu divinitatis claro & a facie ad faciem, ut fert status animæ separatæ. Siquid contra scripsimus, aut protulimus e suggestu sacro, expresse revocamus.

Rayn.
 1334. n. 36.
^{87.}
J. Vill. l. II.
 c. 19. 20.
to. II. Conc.
 p. 1629.

Testa-

Testamentum quoque condidit coram Sæcul. XIV. A.C. 1334.
 Cardinalibus, Ecclesiamque ac nepotes suos eis commendavit. Retexuit factas a se beneficiorum reservationes cunctas, & a die mortis suæ irritas esse voluit. Opetiit eam die dominica pridie Nonas Decembris hora nona matutina, cum sub lucis ortum interfuisset sacrificio, atque divino epulo refectus esset. Vixerat annos nonaginta circiter, sacramque sedem tenuerat annis decem & octo, tribus mensibus, & viginti octo diebus. Sepultus est die postero 5 Dec. in cathedrali templo Avenionensi, ubi etiamnum cernitur ejus monumentum ex magnifica, ut tunc erat, architectura Gothica.

Joannes XXII fuit, qui solenne SS. Bal. vit. to. 1. p. 177. 793. c. 2.
 Triadis festum in Romanam introduxit Ext. de fer. Thomass. fest. 1. 2. c. 18. Baill. fest. mob. Trin.
 Ecclesiam, quæ id singulari officio agere prius haud consueverat, licet abhinc annos circiter quadringentos illud in quibusdam cœnobiis templisque cathedralibus institutum fuerit. Aliqua idem primo post Pentecosten die dominico, alia celebrabant ultimo: Papa Joannes elegit primum, quo illud adhuc agamus.

Sæcul. XIV.
A. C. 1334.

§. XXXIX.

Joannis XXII. thesaurus.

J. Vill. c. 20. Post ejus obitum Avenione intra ærarium Ecclesiæ inventa sunt in auro signato, si pretium spectetur, decies octies mille millia florenorum, & supra; in vasis vero, in crucibus, coronis, infulis, aliisque ornatibus aureis ac gemmeis septies mille millia, omnino vicies quinques mille millia florenorum aureorum. Hæc refert Joannes Villanus, & adjungit; Possum rei hujus testimonium certum dicere; quia frater meus, homo dignus fidei, tunc Avenione Papæ mercator eam comperit ex ærarii Custodibus aliisque, qui jussi erant computare ponderaveque gazam, & exactam hujus notitiam dare Collegio Cardinalium, ut bonorum commentario infereretur. Maximam thesauri partem congesserat industria Papæ Joannis: qui mercatus sacrilegos tollendi gratia, ut ajebat, Christiani orbis templorum Canonicis insignium beneficia cuncta sibi ab anno 1319 reservaverat: unde immensas accepit opes. Præterea reservatione sic utebatur, ut fere nunquam confirmaret alicujus Præsulis electionem, sed ad archiepiscopatum promoveret Episcopum, & huic Episco-

Episcopum minorem sufficeret. Hinc Sæcul. XIV. A.C. 1334.
 sæpe contigit, ut ex vacatione unius archiepiscopatus, vel patriarchatus profluerent sex aut plures promotiones, quæ magna incrementa ærario Apostolico aferebant. At Vir bonus haud meminit Evangelii, in quo Christus ad discipulos inquebat: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra! Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo!* Matth. 6. v. 19. 20. Hæc omnia cum memorasset Joannes Villanus, addit: Papa Joannes dicebat se hunc thesaurum cumulasse pro sumptibus itineris transmarini: & forsitan hunc habebat animum. Ac deinde: Fuit in sua vivendâ ratione modestus & temperans: malebat cibos plebejos, quam exquisitos: ac pro se modicas faciebat impensas. Singulis pæne noctibus surgebat e lecto, ut divini officii pensum persolveret, ac doctrinæ studio daret operam. Sacrificabat ferme quotidie: adeuntibus faciles præbebat aures; & celeriter illos expediebat. Erat natura præservidus, ac præceps in iram, eruditus, ingenio perpicaci, & alto ad res magnas animo.

§. XL.

Benedictus XII. Papa.

Post exequias Papæ Joannis XXII Cardinales, qui numero viginti quatuor
Hist. Eccles. Tom. XXIII. Ff Ave-

Sæcul. XIV.

A.C. 1334.

*Vill. c. 21.**Vitæ Pap.*

p. 219. 826.

Avenione agebant, palatio, ubi mortuus erat, incluserunt Comes Nobiliacensis, ac Provinciæ Prætor Regis Roberti personam sustinens. Arcte custodiebantur illi, ut celeriter Papam eligerent. Duas in factiones se dividebant: & fortior constabat e Gallis potissimum Cadurcensibus, Cardinalem Petrocoricensem pro capite habens. Hæc in Papam cooptare volebat Cardinalem Convenanum antea Tolosanum Archiepiscopum, tunc Antistitem Portuensem, cui sua offerebat suffragia ea conditione, ut promitteret se non iturum Romam. At renuebat, Purpuram, inquit, deponam potius: nam certo scio, summum pontificatum in discrimine versari.

Igitur disjuncti denuo Cardinales, cum venissent ad urnam, proponebant illum, quem pro minimo inter se habebant, scilicet Cardinalem Candidum, sive Jacobum Furnarium illo nomine nuncupatum, quod fuisset Monachus Cisterciensis, ac instituti sui vestem adhuc gestaret. Hunc tamen Cardinales haud observato suffragandi ordine veluti divino instinctu cooptabant cuncti post cantatas preces vespertinas pridie festum S. Thomæ vicesimo Decembris anno 1334, postquam sacra sedes quindecim tantum diebus vacaverat. Mirabantur omnes hanc electionem, ac ipse Papa
novus,

novus, qui aderat, dicebatque: Elegistis *Sæcul. XIV.*
 asinum. Nempe se agnoscebat rudem *A. C. 1334.*
 in regenda Romana curia: quamvis e-
 gregius esset Theologus ac Juriscon-
 sultus.

Jacobus novo cognomento Furna- *Vit. PP.*
 rius erat Saverduni in Fuxensi comita- *p. 197. 796.*
 tu patre pistore natus: unde probabili- *Alb. Arg.*
 ter factum est, ut cognomine vocaretur *p. 125.*
Fournier: quæ vox illo tempore eandem *Vitæ p. 229.*
 significationem habebat, quam hodie ha-
 bet vocabulum *Boulangier*, Pistor, seu
 Furnarius. In adolescentia sua ample-
 xus est vitam monasticam in Bulbonensi
 abbazia Ordinis Cisterciensis dioeceseos
 Mirapicinæ. Litteris daturus operam
 Parisios venit: ubi jam prima Theolo-
 giæ laurea donatus erat; cum electus
 fuit in Abbatem * Fontis Frigidi ejus- * *Fontfroide*
 dem Ordinis anno 1311. Inter Doctores
 relatus evasit Episcopus Apamiensis an-
 no 1317: & hanc Ecclesiam novem an-
 nis gubernavit; ejus ædificia, jurisdic-
 tionem, juraque auxit, ac hæresim ex an-
 tecessorum negligentia ibi propagatam
 excidit. Cum dein Mirapicinum Epis-
 copum viginti duobus mensibus egisset,
 a Papa Joanne XXII Cardinalis Presby- *Sup. lib. 93.*
 ter de S. Prisca creatus, octo post annis *p. 35.*
 summum conscendit folium, ac Benedi-
 ctum XII sese dixit.

Sæcul. XIV.

A. C. 1335.

Postridie electionis suum primum senatum habuit: in quo præcepit, ut repararentur Romana templa, veluti Vaticanum & Lateranense, desertaque palatia. Hoc fine repræsentavit quinquagies mille florenos; & Cardinalium collegio centies mille, ut eorum indigentia subveniret. Die Natali Domini Nostri cunctis sacrificio publico, quod Episcopus Prænестinus obiit, præsentibus septem annorum, & septies quadraginta dierum indulgentiam largitus est.

Rayn. 1334.
n. 3.

Septima Januarii anno 1335 descendit e suo palatio; & cum Cardinalibus ex more adiit templum Dominicanorum: ubi sequente dominica coronatus est per Napoleonem Urfinum Cardinalem Diaconum. Postero die 9 mensis suum reversus in palatium libellos supplices sibi oblatos recipere renuit; volebatque scire statum supplicantis, proventum beneficii, & an ille non jam consideret aliud. Eodem die dabat epistolam ad omnes Episcopos circummittendam; qua indicabat se ad summam sedem electum concorditer, & coronatum fuisse. Exemplar ejus, quod nos habemus, est inscriptum Remorum Archiepiscopo, Suffraganeis ejusdem, cæterisque provinciæ Remensis Præpositis ecclesiasticis. Illa ipsa epistola missa fuit Philippo Franciæ, Eduardo Angliæ, Roberto

berto Siciliae seu Neapolis, Alphonso Castellae, Philippo Navarrae, Alphonso Aragoniae, Alphonso Lusitaniae, Carolo Hungariae, Roberto Sueciae, Casimiro Poloniae, Joanni Bohemiae, Hugoni Cypri, ac Leoni Armeniae Regibus.

Sæcul. XIV.
A. C. 1335.

§. XLI.

Benedicti XII actiones primæ.

Papa Benedictus decimo Januarii senatum habuit publicum, in quo cunctos Præfules Parochosque jussit post anniversarium Virginis lustratae diem ad ipsorum beneficia redire: alioquin se contra eos remedia juris adhibiturum, nisi Romana in curia hærendi causam indicarent legitimam. Paulo post ad Episcopos Castellae ita scripsit: Cum dolore audivimus viros sacros & profanos, etiam in dignitate positos varia scelera perpetrare, adulteria, incestus, concubinatus, matrimonia illicita, direptiones, incendia, rapinas, & injustas exactiones. Non possunt hæc crimina Christianam fidem apud Mahometanos vicinos vestros in contemptum non adducere, ac Dei præsidium contra eorum incursum necessarium non avertere. Hortamur proin ac præcipimus, ut coercetis hæc flagitia; & corrigendis moribus invigiletis. Dabat 12 Martii: si-

Vita PP.
p. 221. 230.
Rayn. 1335.
n. 67. 64.

Sæcul. XIV. milesque litteras eadem super re 6 Ma-
A.C. 1335. ji ad Regem Castiliæ Alphonsum exa-
 ravit.

Rayn. n. 39.
 43.

Hoc primo pontificatus sui anno Be-
 nedictus ab Alphonso Arragonum Rege
 ob Sardiniam, & a Roberto propter Nea-
 polim clientelæ professionem recepit: at
 Rege Siciliae Friderico hanc edere recu-
 sante statuit uti patientia: quanquam
 Rex Robertus hunc Principem pro ini-
 quo possessore habens urgebat Papam,
 ut eum sine intermissione ulla plecteret.

n. 51.

Papa contentus erat ad eum mittere Ber-
 trandum Ebredunensem Archiepiscopum
 cum monitione 4 Maji scripta: in qua
 rem a *Vesperis Siculis* repetit; atque
 infulam a Rege Petro Friderici patre
 perperam occupatam memorat. Multa
 huic crimina objicit, inter alia, quod sibi
 arrogaverit bona Ecclesiarum, & aposta-
 tis schismaticis, nempe fratricellis per-
 fugium præbuerit. Finit exhortando
 eum, ut redeat ad officium, ac Ecclesiæ
 satisfaciat.

Vitæ. p. 198.

222. 230.

Rayn. n. 67.

Ultimo Maji Papa in senatu sacro re-
 vocavit quamlibet beneficii ecclesiastici,
 dum conferatur, administrationem ab an-
 tecessoribus suis concessam, præterquam
 illas, quas Cardinales & Patriarchæ
 obtinuissent. Infirmavit etiam omnia
 beneficiorum, quæ prima vacaverint,
 promissa, quibus antecessor suus onerasset
 Eccle-

Ecclesias. Principum profanorum, quin **Sæcul. XIV.**
 etiam Virorum de Clero importunas **A.C. 1335.**
 preces cunctas penitus contempsit. Re-
 nuit beneficia tribuere iis, qui suo statui
 sufficientia jam tenebant: & quando eis
 dabat pinguiora, adstringebat eos, ut
 priora relinquerent. Denique sacrorum
 nundinationem ex Romana curia ex-
 terminavit; & cupiditatem, privatique
 commodi studium ab Ecclesia Dei remo-
 vere conatus est.

§. XLII.

Benedictus Avenione permanet.

Oratores a Romanis Avenionem missi **Ragn. 1335.**
 pontificio in senatu proponebant gra- **n. 3.**
 ves rationes multas, ob quas Papa
 transferre se Romam deberet; ubi divi-
 na providentia sedem posuisset Apostoli-
 cam; & ubi tot Sanctorum corpora
 jacerent. Benedictus matura cum Car-
 dinalibus deliberatione habita tam æquæ
 petitioni non posse se non annuere vi-
 dens reposuit: Nos & Cardinales volu-
 mus, quod postulatis, facere: sed tem-
 pus itineris prima Octobris declarabi-
 mus. Ita sonat Benedicti epistola ad **Vita. p. 199.**
 Regem Philippum Valesium ultimo Julii **Sup. §. 22.**
 data. Postea ille ad mentem anteces-
 soris statuit Bononiæ in Italia reside-
 re: tametsi anno priore inde pulsus es-
 set **§. 37.**

F f 4

set

Secul. XIV. fet Cardinalis Ostiensis Legatus Papæ
A.C. 1335. Joannis.

Ita secum constituit Benedictus, dummodo cives debito ipsum honore recipere, ac recepto fidem & obedientiam præstare vellent. Hoc dixit in senatu publico: hoc ubique pervulgari iussit; præsertim in illa parte Italiæ. Sed ut rem certo cognosceret, Bononiam misit Nuncios, qui civibus aperirent ipsius animum; atque si bene affectos cernerent, ipsi palatium, & Cardinalibus domos præparandas dicerent. Nuncii seditiosum Bononiæ ingenium, quo Legatum pepulisset, ac feroces adhuc spiritus videbant: quales tunc fovebant fere omnes reliquæ Pontificis Romani urbes. Molestè rem tulit Papa, ex reversis Nunciis auditam. Sed imparem se rebellibus domandis sentiens mutato consilio Avenione cum sua curia manere ratum fixumque habuit. Cœpit ergo a fundamentis condere palatium pro illo tempore magnificum, murisque ac turribus optime munire: quod opus per omnem vitam reliquam continuavit. Elegit ei locum domus episcopalis, aliamque alibi Episcopo exstrui iussit: quod executioni datum est.

§. XLIII.

§. XLIII.

Sæcul. XIV.
A. C 1335.*Hæretici variis in regionibus.*

Multæ tunc hæreses diversas orbis Christiani partes turbabant, ut ex litteris Papæ Benedicti patet. Erant adhuc in Lugdunensi agro, & in Delphinatu Valdenses; in Italia Fratricelli, ac Dulcini discipuli. Alii errores suos in Germania, Bohemia, & Dalmatia disseminabant. Idcirco Papa duos Inquisitores Dominicanos, Olomutii alterum, alterum Pragæ constituit, ac Joanni Luxemburgio Bohemiæ Regi scripsit, ut eis auxiliarem præberet manum. Sic & alios Principes per litteras monuit, ut ecclesiasticorum Judicium animadversiones in hæreticos cujusque regionis profana potestate sua fulcirent.

Rayn. 1335.
n. 59. 63.
1336. n. 63.

n. 61.

Observo inter alias epistolam ad Edwardum Anglorum Regem, ubi Papa inquit: Richardus Ossoriæ in Hibernia Episcopus suam diocesim lustrans in medio populo catholico hæreticos invenit perhibentes, Christum ob commissa crimina juste affixum cruci fuisse. Alii se se conferebant in clientelam dæmonum: sacrificia his offerebant, dicebantque nec adorandum, nec colendum esse Sacramentum altaris: negabant fidem ac obe-

n. 60.

F f 5

dien-

Sæcul. XIV.
A.C. 1335.

dientiam præstandam decretis, aut decretalibus, vel mandatis Summorum Præfulum: denique Christianos attrahebant ad consulendos dæmones, ac exercendas superstitiones ethnicas. Cum vero in Hibernia cæterisque terris tuis non dentur Inquisitores, hortamur te ac oramus magnopere, ut Prætorem ac reliquos in Hibernia ministros tuos jubeas Oссорiano Episcopo & aliis regionis Præfulibus præsidium ferre, quotiescunque illi rogati fuerint, ut capiant, ac plectant hæreticos. Dabat 6 Novembris.

§. XLIV.

Decisio de visione beatifica,

Papæ Benedicto maxime cordi fuit quæstionem de visione beatifica judicare. Die Festo Lustratæ Virginis 2 Febr. 1335 in sacra concione dicebat Sanctos claro aspectu naturæ divinæ frui: & quarto ejusdem mensis habuit senatum, in quem cunctos opinionis contrariæ ac suo antecessori placitæ defensores sacro in suggestu publicos acciri voluit, ut eorum rationes cognosceret. Sexto Julii eodem anno adiit Pontem Sorgiæ prope Avenionem, ut esset liberior, quam hac in urbe. Illic coram multis Theologiæ Doctoribus, quos habebat secum,

Vitæ p. 221.
Rayn. n. 8.
1336. n. 1.

V. p. 222.

secum, & in præsentia Cardinalium, qui Sæcul. XIV.
 adesse volebant, legi jubebat librum de A. C. 1335.
 visione beatifica a se compositum: &
 quas hic continebat, authoritates, per
 eosdem Doctores discuti curabat, visu-
 rus, an ullum relinquerent dubium? Re-
 gi Philippo & suum digressum & hujus
 causam significavit.

Romæ asservatur hoc Benedicti XII Rayn. 1335.
 opus: cujus in exordio ait: S. Petrus n. 9.
 Christianos monuit, ut semper essent pa- 1336. n. 4.
 rati satisfacere omnibus, qui spei ac fi- I. Pet. 3. v. 15
 dei suæ rationem poscerent. Et secun-
 dum verba S. Pauli Episcopus exhortari Tit. I. v. 9.
 sana in doctrina, & eos, qui contradicunt,
 arguere sciat, oportet. Igitur in sede,
 quam teneo, a Deo positus pro viribus
 confutare volui opinioniones sanæ doctrinæ
 contrarias, quæ in Ecclesia comparue-
 runt ab eo tempore, quo sacram accepi
 purpuram. Perpenſa diu hac materia, Rayn. 1336.
 ineunte anno proximo edidit litteras, n. 2. 3.
 quarum initium, *Benedictus Deus*, & sum- Bullar. to. I.
 ma est hæc: Ben. const. 4.

Sub Joanne XXII antecessore nostro
 inter quosdam Theologiæ Doctores de
 visione beatifica quæstio fuit mota, quam
 ille decidere, ut voluerat, non potuit
 morte præventus. Quocirca de consilio
 Fratrum nostrorum Cardinalium, quibus-
 cum sedulo hac super re deliberavimus,
 has

Sæcul. XIV.
A.C. 1336.

has per litteras sequentem facimus declarationem. Secundum ordinariam Dei voluntatem animæ sanctæ ante Christi cruciatus hac ex vita egressæ, animæ Apostolorum, Martyrum, cæterorumque recte credentium, qui post baptismum sine macula obierunt diem, animæ piacularibus flammis penitus purgatæ, animæ infantium post baptisma ante usum rationis mortuorum, omnes hæ animæ jam ante reditum in sua corpora, & ante iudicium generale sunt in cælo beatæ cum Christo & Angelis, & divinam naturam vident *a facie ad faciem* sine interpositione cuiusquam rei creatæ. Hanc per visionem divinitate fruuntur, ideoque vera felicitate, vita, & quiete perpetua. Ita cessant in eis actus fidei ac spei, quatenus hæ sunt virtutes theologicæ: atque illa visio semel incepta sine ulla intermissione continuabitur usque ad extremum iudicium, ac deinde perpetuo. Declaramus simul, in letali peccato propria voluntate commisso morientium animas protinus ad inferos delatas ibi excruciarî; postremi tamen iudicii die cunctos homines ad tribunal Christi venturos esse, ut reddant rationem vitæ suæ, ac bonum, malumve, prout meruerint, recipiant. Dabat 29 Jan. 1336. Sic Benedictus rejecit opinionem antecessoris sui,
ac

ac perstitit in illa, quam Schola Parifina
cum tota docebat Ecclefia.

Sæcul. XIV.
A. C. 1336.

Benedictus XII a Joanne XXII plurimum discrepabat etiam extrinsecus. *Alb. Argent. p. 125.*
Huic vultus pallidus, ftatura pufilla, vox debilis, illi eximia corporis magnitudo, fanguine fuffufa facies, fonora vox erat. Nec minus diverfus eorum modus agendi. Joannes evehere ac ditare propinquos fuos, Nobilium Ordinis exiftimationem colligere audiendo benevole ipforum preces, numerosos Equites alere geftiebat. Nihil fimile Benedictus. Faxint boni Superi, ajebat, ne me Rex Franciæ per cognatos meos in fervitutem adducat fuam, cogatque omnia, quæ cupit, facere, ut antecessorem meum!

§. XLV.

Agitur de reconciliatione gratiæ cum Ludovico Bavaro.

Benedictus in principio pontificatus fui a Rege Galliæ per legationem rogatus est, ut Joannem ipfius filium natu majorem faceret Regem Viennæ; ipfum vero constitueret Imperii Vicarium in Italia; & ipfi decimam decimarum in decem annos, ac totum Ecclesiæ thesaurum ad suppetias terræ sacrae ferendas concederet. Hæ petitiones Papam & Cardi-

p. 126.

Sæcul. XIV.
A.C. 1336.

Cardinales tanta percellebant formidine, ut cum Imperatore Ludovico Bavaro in gratiam redire statuerent. Qui per amicos, quos in aula Romana semper alebat, rem edoctus, ad Papam & Cardinales mox Legatos misit cum litteris modestissimis. Papa Ducibus Austriæ Ludovici cognatis scripsit hunc Principem a se cum gaudio receptum iri, si revenire ad Ecclesiæ sinum cuperet. Epistolam dabat mense Aprili 1335.

Rayn. 1335.
n. 1. 2.

Vitæ p. 221.

p. 222. 223.
Rayn. 1336.
n. 17. 18. &c.

Imperatori Legati erant Ludovicus Ottingæ Comes, tres Clerici, ac totidem Equites: qui 28 Aprilis anno 1335 ad Papam delati, quinto Julii Avenione asportabant conditiones, quas ille dederat rei componendæ gratia. Sequenti anno 1336 illuc reverterunt cum potestate gerendi negotii quinto Martii perscripta; in qua illi nominantur, scilicet Ludovici senior juniorque Ottingæ Comites, Henricus Sifingius Eques Teutonici Ordinis beneficio præditus, Eberardus Tummius Archidiaconus, Marquardus Randecius Canonicus, & Doctor Udalricus Augustanus, Archigrammateus Imperatoris: qui per hoc scriptum omnia contra Papam Joannem XXII a se facta, & omnia edicta sua Romæ promulgata revocat, adjungens multa promissa ad confirmandam concordiam. Legati Avenione auditi sunt in senatu

senatu publico, ubi omnium nomine lo-
quebatur Marquardus Randecius. Pe-
tebant, ut Ludovicus Bavarus censuris
sibi per Joannem XXII irrogatis exsolve-
retur, pollicitus se satisfacturum Eccle-
siæ. Benedictus se hac de re quanquam
difficili optatum ad exitum perducenda
cum Cardinalibus consultaturum reposuit:
sed nihil decrevit.

Albertus Argentinensis scriptor coæ-
vus hæc addit, Papa blandissime respon-
dit, se cum Cardinalibus summa lætitia
perfusum iri, si Germania hic nobilis Ec-
clesiæ ramus se stipiti denuo jungeret in
modum sacræ Sedi tam honorificum.
Excurrebat in laudes Germaniæ ac
Ludovici, quem dicebat generosissimum
orbis Principem. Imperii vacationi ad-
scribebat Italiæ turbas, & jacturam Ar-
meniæ ac Palæstinæ. Demum ajebat
Ludovicum per se absolutum iri. Et
vero sperabatur id postridie futurum esse.
Sed Franciæ ac Neapolis Reges hoc a
consilio cunctos propemodum Cardina-
les dimoverant. Nam id oppugnandi
causa Rex Philippus in Romanam curiam
Archiepiscopos duos, duos Episcopos,
duosque Comites, ac Rex Robertus to-
tidem miserat. Contendebant omnes
tam grandem hæresiarcham perperam
præferri suis Dominis Ecclesiæ fidelissi-
mis; & Papæ cavendum esse, ne fautor
hære-

Sæcul. XIV.
A. C. 1336.

hæreticorum vocaretur. Papa inquebat: Quid ergo cupiunt vestri Domini? Voluntne Imperium dari nullum? Respondebant ferociter: Sancte Pater! noli nostris Dominis nobisque tribuere verba, quæ non loquimur! Haud impugnamus Imperium, sed Ludovicum condemnatum, cum multa fecisset contra Ecclesiam. Immo nos contra illum fecimus, subjunxit Papa: cum baculo venisset ad pedes antecessoris nostri, si hic eum voluisset recipere: & quidquid egit is Princeps, provocatus egit. Asseverabat deinde Papa effecturum se, ut Ludovicus ad conditiones descendat pro ambobus Regibus meliores, quam si eum inclusum turri tenerent. Sed operam lusit: quia Gallorum Rex in omnibus terris suis Cardinalium redditus occupaverat.

Hoc ipso tempore Rex Bohemiæ Joannes ac Henricus Baviariæ Dux illius gener ad aulam Romanam confidenter scripserant se Hungariæ & Cracoviæ sive Poloniæ Regum, atque aliorum quorundam auxilio novum Romanorum Regem creaturos esse. Quæ res Cardinales rursus impulit, ut Papam a Ludovici absolute averterent. Aiebant enim: Cum eum suæ ipsius partes de fastigio detrahere velint, imprudenter ageret Sacra Sedes, si tot Principes offenderet obvirum

virum debilem ac derelictum. Itaque *Sæcul. XIV.*
 Papa novum deliberandi spatium con- *A.C. 1336.*
 stituit: Legatique Ludovici re infecta
 discessere.

Alios eodem anno misit nempe Gui- *Rayn. n. 30.*
 lielmum Juliaci Comitem, ac Robertum *31.*
 Bavariæ Principem suum patruum cum
 potestate gerendæ rei 28 Oct. 1336 scri-
 pta: in qua fatetur intrusum a se Anti-
 papam Petrum Corbarium, quia ignoras-
 set in hæresim incidere illum, qui crede-
 ret ab Imperatore Papam exauthorari,
 & alium decerni posse. Ait hoc dolere
 sibi, sicut etiam quod protexerit Pro-Co-
 mites, Fratresque Minores in Ecclesiam *n. 32.*
 rebelles, inter alios Michaëlem Cæsena-
 tem, Guilielmum Ocamum, & Bonagra-
 tium Bergomatem. Declarat se id egisse
 tanquam Equitem in litteris & docto-
 rum subtilitatibus rudem ac hospitem.
 Excusat se de receptis Marsilio Patavino
 & Joanne Janduno: ac ejurat eorum hæ-
 reses. Petit veniam, quod interdicta non
 observaverit: & Romæ impositam sibi
 coronam abdicat. Tradita Procuratori-
 bus hæc duo scripta sunt composita in
 modum litterarum ad Papam: & Ludo-
 vicus tertias ad eum misit tertio Decem-
 bris eodem anno, eundemque in finem,
 scilicet, ut absolveretur. Interim Rex
 Philippus Papam consuluit de foedere
 sanciendo cum Ludovico Bavaro. Sed *n. 39.*
Histor. Eccles. Tom. XXIII. Gg Papa

Sæcul. XIV. A. C. 1336. Papa dissuasit, illi exponens incommoda foederis cum Ludovico non absoluto hactenus, & difficultatem absolutionis, utpote quæ deberet cunctos Germaniæ Principes illius partibus addictos comprehendere. Dabat 23 Novembris.

§. XLVI.

Balduinus Trevirensis Moguntiam administrare desinit.

Sup. §. 13. **N**e Ludovico pax ecclesiastica redderetur, inter alia obstabat administratio Moguntiae perperam continuata per Balduinum Luxemburgium Archiepiscopum Trevirensis. Ut is cessaret, Papa ad Ludovicum Bavarum Legatum misit Magalonensem Episcopum Pictonem Montefginum, postea Cardinalem. Nam etsi Balduinus anno 1333 Henrico Virneburgio cedere visus erat, re ipsa tamen pergebat administrare Moguntiam, neglectis Henrici de se querimoniis in curia Romana. Hoc demum anno 1336 inter eos convenit. Balduinus Collegio Moguntino reddidit administrationem: Collegium Imperatori favens Henricum recepit in Archiepiscopum, postquam se partes ejusdem secuturum promiserat: pro pignore Collegium sex castella in possessione sua retinuit. Tum
Baldui-

Rayn. n. 59.

Balduinus ad Papam misit illius muneris
 abdicationem ex formula perscriptam
 12 Nov. 1336: ac Henricus mansit quietus
 possessor: sed fideliter promisso stetit
 suo, Ludovici partibus firmiter adhaerens.

Sæcul. XIV.
 A.C. 1336.

Conc. to. II.
 p. 1794.

Eodem anno Papa Benedictus Præfulum inspectionis sumptus Ecclesiis nimium graves moderabatur, fusas edens litteras, in quibus pro ratione varia regionum, Inspectorum, Ecclesiarumque recognitarum singulos sumptus æstimat certa Turronensium nummorum argenteorum summa, quorum duodecim valebant floreno aureo; ac prohibet, nequid amplius accipiatur. Dabat 18 Decembr. 1336.

XLVII

Corriguntur Cistercienses.

Papa Benedictus singularem emendandis Regularibus operam dabat. Mox primo pontificatus sui anno Arnaldum Verdaliū, postea Episcopum Magalonsensem, ac Hedesium Fenoliadensem Decanum jussit per provincias Arelatensem Narbonensemque recognoscere Canonicos templorum cathedralium, & collegialium, ut vocant, Cluniacenses, ac reliquos Benedictinos, Præmonstratenses,

Rayn. 1335.
 u. 68
 Vita to. I.
 p. 232. 233.

G g 2 &

Sæcul. XIV.
A. C. 1336.

& Augustinianos, instaurandæ disciplinæ gratia. Multa vero ex illis templis cathedralibus, & collegialibus tenebant Canonici Regulares. Papa etiam coërcuit inquietos & ambitiosos Monachos Canonicosque Regulares, qui ab uno cœnobio in aliud transferri se curabant, ut ibi beneficia & dignitates acquirerent: voluitque quemvis permanere in asceterio, ubi vota nuncupasset.

Ad corrigendos Ordines Religiosos litteras plures dabat: & primas quidem ad Cisterciensem, e quo evocatus fuerat. Utebatur autem hac in re consilio majorum Ordinis Præfulum, nempe Abbatum Cistercii, Firmitatis, Claræ Vallis, & Morimundi: & statuit, quæ sequuntur. Ut monasteria conservent bona sua, Abbates nihil alienent, nihil sumant mutuum nisi sub certis formulis. Hæc ibi præscribuntur. Abbas quotannis, Curatores reliqui quovis anno quater de proventibus cœnobii rationem reddant. Inspectores nullo in monasterio morentur amplius tribus diebus integris; nec adducant equos plures, quam quot permittunt canones. Abbates a comitiis generalibus absentes alterum tantum solvant, quantum in itinere erogassent. Hic decernitur collatio & usus pecuniarum ad communia Ordinis negotia.

Bull. Const. 3
Bened.

art. 3. 4.

a. 7.

a. 9. 10. 11.

a. 12.

18.

19. 20.

Deinceps

Deinceps idonei tantum homines, *Sæcul. XIV.*
 nec nisi per Abbates, cæterosque Præ- *A. C. 1336.*
 sides in Ordinem admittantur. Abba-
 tes fuscum duntaxat, vel album amictum
 gerant: nec secum ducant adolescentu-
 los muliebris elegantiae confectores to-
 gis virgatis vel bicoloribus indutos. Sci- *Cong. gloss.*
 licet Abbates, sicut Optimates alii, ha- *Domicellus.*
 bebant famulantes sibi pueros nobiles,
 quos vocaremus ephebos. Carnes absint *a. 29. 31.*
 a mensa, & omnes earum permissio-
 nes revocatas volumus: Abbates tamen
 ac reliqui primores Ordinis, quando aliis
 in cœnobiis agunt, ibi carnibus vesci
 possunt in conclavi Abbatis, vel in vale-
 tudinario. Monachi non habeant cu- *33. 34.*
 bicula; sed cubent omnes in dormitorio
 sine cellulis; siquæ factæ sunt, destruan-
 tur. Et vero, quæ cernuntur antiquis
 in dormitoriis, multo post has Papæ lit-
 teras confectæ sunt.
 Interdicimus malam consuetudinem *34.*
 in quædam cœnobia introductam, qua
 cuique monacho certa quantitas panis,
 frumenti, vini, aut pecuniæ ad modum
 pensionis pro victu ac vestitu suo tri-
 buit. Nec Monasterii bona inter Ab- *37.*
 batem & ministros ejus, cætumque
 religiosum dividantur. Equos habere *38.*
 non licet Monachis privatis, sed solis œ-
 conomis, ut itinerum & sumptuum com-
 pendium faciant. Denique prohibemus *39.*
 G g 3 omne

Sæcul. XIV. omne dominium, ac speciatim fraudes
A.C. 1336. Monachorum, per quas sub alienis nomi-
 nibus possident pecora vel alia bona, quæ
 foenori dant aut vendunt. Abbates a-
 dimant illis hoc peculium, & in emolu-
 mentum cœnobii vertant.

42.

43. 44.

Ultima litterarum pars studia præ-
 scribit Monachis, ut per doctrinam suam
 Ecclesiæ utiles fiant. Jubentur habere
 scholas theologicas Parisiis, Oxonii, To-
 losæ, ac Cesserone, novasque aperire
 Bononiæ, ac Salamanticæ. Præfinitur
 ecclesiasticæ provinciæ, quarum Mo-
 nachi adeant suam quisque Universita-
 tem; numerus eorum, quos monaste-
 rium quodlibet eo mittat; & pensio cu-
 jusvis Monachi discantis litteras. De
 Parisina Universitate loquens Papa dicit
 eam esse præcipuam, & fontem cætera-
 rum omnium, atque illuc mitti posse Mo-
 nachos cunctarum nationum. Dabat
 Ponte Sorgiæ 12 Julii.

§. XLVIII.

Emendantur Monachi Nigri.

Bull. Const.
5. to. 1. p. 241
Bibl. Clun.
p. 1671.

Sequente anno 20 Junii Papa Benedi-
 ctus Avenione similes edebat litte-
 ras ad corrigendos Monachos Nigros, ni-
 mirum Cluniacenses, cunctosque reli-
 quos Benedictinos. In consilium adhi-
 buit

buit Petrum Castrolucinum, quem Joannes XXII fecerat Abbatem Cluniaci, Joannem Casæ-Dei, Gilbertum ad S. Victoris Massiliæ, Raymundum Pfallmodii, Guilielmum Montolii, atque Gregorium Ifodori Abbates: hi sex Præsules vocantur Doctores Decreti, scilicet Juris pontificii. Litteræ primum confirmant Concilii Lateranensis sanctionem de mitiis generalibus in quolibet regno tertio quoque anno habendis. Idem intra spatium celebrari volunt comitia provincialia, singulasque provincias præfinit, ponentes pro una Remensem ac Senonensem, pro alia Rothomagensem ac Turonicam, & ita reliquas.

Sæcul. XIV.
A. C. 1336.

C. In sing. 7.
extrav. de
statu monach.

Hæ litteræ excurrunt late in studia ac præcipiunt, ut in quovis coenobio sit Magister, qui disciplinas primigenias, nempe Grammaticam, Logicam, & Philosophiam Monachis tradat, exclusis hominibus profanis; illique his imbuti studiis ad Universitates mittantur Theologiæ, aut Juri Canonico daturi operam. Inter monasteria nominantur sæpe cathedrales Ecclesiæ, quia multas tenebant Monachi, præsertim in Anglia & Germania. Hæ duæ litteræ Apostolicæ indicant, quam remissa fuerit monastici Ordinis disciplina, cum tantam in oblivionem venerit, ut ne verbum quidem

cap. 6.

G g 4

de

Sæcul. XIV. de precatione mentis, ac de manuum la-
A.C. 1336. bore memorent.

§. XLIX.

*Fratres Minores commonentur
officii sui.*

Papa Benedictus eodem anno alias da-
bat litteras, easque fufas, ut etiam
Rayn. 1336. n. 65. Fratres Minores emendaret. Qua de re
confuluit quinque Cardinales, Constan-
tinopolis Patriarcham honorarium, Epis-
copum Brixianum, Maffiliæ ac Montolii
Abbates, Geraldum Generalem, & o-
cto Provinciales Ministros Ordinis. Com-
mendat Fratribus illas per litteras affi-
duitatem primum & modestiam in officio
divino, deinde unam eandemque vesti-
tus rationem ex decreto *Quorundam exi-
git*, anathematis pœnam statuens in
illos, qui hac in parte morem non gere-
rent Præsidibus. Generatim conde-
mnat Fratricellos, & fautores eorum, &
qui opiniones suspectas introducerent, aut
propugnarent. Huc potissimum specta-
re videntur istæ litteræ scriptæ 28 Nov.
1336.

Vad. 1336. n. 40.
1337. n. 3. 6. Receptæ ac promulgatæ sunt in co-
mitiis generalibus Cadurci habitis se-
quente anno, mense Junio, quia id Pa-
pa diserte iusserat: postea mittebantur
in

in singulas Ordinis provincias. Multi Sæcul. XIV.
 Fratrum, immo Præsidum credebant il- A.C. 1336.
 las confectas esse impulsu Geraldii, quem
 disciplinæ remissioni favere dicebant.
 Habebat magnifice, si spectes pauper-
 tatem, quam profitebatur. Vivebat
 delicate ac molliter, & errata contra le-
 ges facile condonabat. Et vero quere-
 bantur Fratres, Papam per hanc san-
 ctionem multa induxisse nova, multas Or-
 dinis præscriptiones veteres abrogasse:
 verbo: eam tendere ad dissolvendam
 potius, quam instaurandam disciplinam:
 ut posthæc docuit experientia. Sic
 loquitur Pater Lucas Vadingus, qui
 Ordinis Annales trecentis post annis
 contexuit.

§. L.

*S. Elisabetha Lusitanicæ Regina
 obit.*

Fratres Minores inter Cælites tertii
 Ordinis S. Francisci numerant Regi-
 nam Lusitanicæ S. Elisabetham, quæ hoc
 anno 1336 ad Deum excessit. Anno *Vad. 1335.*
 priore Compostellam S. Jacobi colendi *n. 12.*
 causa secundo adierat, cum comperisset
 ita se impetrare posse plenam noxarum
 veniam a Papa illo anno concessam.
 Hoc iter tunc pedibus faciebat instar

G g 5

pau-

Sæcul. XIV.
A.C. 1336

Rayn. 1336.
n. 3. 4. &c.

pauperis peregrinationem sacram obeuntis amicta, comitantibus solum aliquot foeminis similiter vestitis, victumque precario quærebat. Reversa domum audit suum filium Alphonsum IV Lusitaniæ Regem habere controversiam cum Alphonso VII Castiliæ Rege nepote suo, & bellum adornare. In gratiam eos ut reduceret, relicta Conimbrica Stremonium, ubi filius agebat, venit nullam senectutis suæ, nullam caloris æstivi rationem ducens. At ex fatigatione itineris contractæ febris violentia 4 Julii anno 1336 consumpsit habentem ætatis annos sexaginta quinque. Rex Alphonfus cadaver Stremonio Conimbricam referri jussit: ubi humatum est, apud Filias S. Claræ, ut Sancta Regina per testamentum mandaverat. Ad sepulchrum multa fiebant miracula: in quæ post annos ducentos circiter inquirebatur, ut solenni ritu consecraretur ejus memoria: quod demum anno 1625 egit Papa Urbanus VIII.

Martyr. R.
4. Jul.

§. LI.

*Concilium Castri Gontherii
habitum.*

Petrus Frerotus Turonensis Archiepiscopus hoc anno 1336 die Mercurii ante

ante festum S. Clementis duodecimo Ca- Sæcul. XIV.
 lendas Decembres Castri Gontherii pro- A.C. 1336.
 vinciale concilium celebravit: ubi edidit
 duodecim canones, quorum plerique, ut to. II. Conc.
 illi, quos cætera ejusdem temporis Con- p. 1842
 cilia condebant, tendunt ad jurisdic-
 tionem ac bona Ecclesiæ conservanda, &
 ad reprimendas juris sacri usurpationes
 ac violentias contra Præsules & reli-
 quum Clerum. Pro sex diebus domini-
 cis ibi designatis prohibetur divinum
 sacrificium in facellis domesticis: & agi
 jubentur mandata plurium ejusdem pro-
 vinciae conciliorum, nempe Salmurii an-
 no 1315, Nannetibus, an. 1264, Castri
 Gontherii an. 1268, Rhedonibus anno
 1273, ac Bituricis habitorum; utpote
 quorum decreta parum curarentur. At
 non nisi eadem proponuntur poenæ, ni-
 mirum censuræ tantum in contemptum
 adductæ.

§. LII.

Tentatur Græcorum reconciliatio.

Eques Stephanus Durinus Dandalus
 hæc ad Papam retulit: Cum essem a- Rayn. 1337.
 pud Imperatorem Andronicum Palæo- n. 31.
 logum, coram eo & aulæ Primoribus
 dixi Papam audiisse cum gaudio Græco-
 rum voluntatem redeundi ad Romanam
 Ecclesiam. Andronicus ex Procerum
 consen-

Sæcul. XIV.
A. C. 1336.
consensu repofuit, Græcos omnes concordiam cupere paratos agitare hujus confilia, & Neapolim mittere Nuncios, siquos etiam Papa illuc legaret: nam in Rege Roberto se confidere. Addebat, si ipse & Græci se in errore aliquo versari cernerent, eum esse deposituros. Igitur Papa litteras scripsit ad Andronicum, quem ibi non Imperatorem, sed Moderatorem Græcorum nominat, ne officiat Latinorum juribus ad Imperium Constantinopolitanum. Hortatur, ut confideret emolumenta sacra & profana Græcis obventura ex reconciliatone cum Romana Ecclesia: oratque, ut mature Nuncios hoc fine Sanctam ad Sedem mittat. Dabat 17 Jan. 1337.

Papa, si hoc negotium aliena in aula tractaret, id se non ex dignitate sua facturum ratus, eodem die per litteras rogavit Regem Robertum, ut se ita interponeret, ut Andronicus Legatos suos ad aulam Romanam mitteret. Sed Neapoli quam Avenione plus commodi & libertatis fuisset Græcis. Papa scribebat etiam hac de re ad Imperatricem Joannam, quam Græci Annam nominabant, Andronici conjugem, Sabaudia Comitis filiam. Cum orta sis stirpe catholica, inquebat, tuum est ad efficiendam hanc concordiam conniti tum per te ipsam

Ducange
Famil. Byz.
p. 238.

Rayn. n. 33.

ipsam, tum per maritum liberosque tuos. Sæcul. XIV.
A. C. 1337.
Sed id consensionis consilium effectu caruit, quia Latini, cum inter se dissiderent, haud poterant Græcis mittere subsidia contra Turcas promissa. Hoc enim J. Vill. l. II.
c. 68. anno 1337 coeptum est longum funestumque bellum inter Venetos ac Genueses.

§. LIII.

Decimæ in usus profanos aversæ.

Interim Rex Philippus Valefius semper propositum belli sacri præseferens, hoc C. Nang.
p. 767.
Vit. PP.
p. 224 817. ipso anno inspectis regni sui partibus longinquis ad Papam Benedictum se contulit cum suo filio Joanne Normanniæ Duce. Avenionem attigit 3 Martii die memorabili ob defectionem solis anno 1336, scilicet anno 1337 ante Pascha. Papa & Rex remotis arbitris consultabant de itinere transmarino, quod anno priore Calendis Augusti fuisset ingrediendum. Postea Rex Massiliam petiit, ut ibi & S. Ludovicum Tolosanum ad ipsius sepulchrum coleret, & classem ad maris transitum parari jussam inspiceret.

Angliæ & Galliæ Reges decimas ad bellum sacrum, quod non inibant, ab utriusque regni Clero sibi solutas impendebant

Sæcul. XIV. debant in bellum, quod inter se gerebant.

A.C. 1337.

Rayn. 1337.

n. 32.

III. 119 7

20 4

119 7

119 7

119 7

Rayn. n. 21.

25.

Itaque Papa Regi Philippo scripsit in hanc sententiam: Procuratores, quos ad Sacram misisti Sedem, tuo nomine, ut scis, jurarunt te decimas ab ea tibi ad iter transmarinum concessas non alios in usus conversurum esse. Si jam ageres contrarium, & illas pecunias in alia bella præsertim contra Christianos infumeres: considera præter offensam & vindictam Dei tibi metuendam, quis de te nobisque sermo foret, quia hanc tibi gratiam secreto & sine consilio Cardinalium facere haud possemus. Nunc patet, diceret Clerus, quomodo nos deludant Papa & Rex, cum hæc pecunia ad terram sacram ethnicorum manibus eripiendam destinata ad fundendum Christianorum sanguinem adhibeatur. Atque si se offerret occasio transmittendi mare, & Sacra Sedes alias imperare decimas vellet, derideret nos Clerus, & negaret eas melius quam priores impensum iri. Dabat 4. Apr. 1337. Conquereretur pariter de malo decimarum usu in Anglia & Lusitania.

§. LIV.

Sæcul. XIV.
A. C. 1337.*Papæ querimonie de Rege
Gallorum.*

Sed & alias de Rege Franciæ querelas movit: ut docet epistola illius ad duos Nuncios pacem inter Galliam & Angliam curatum missos nempe ad Petrum Gomesium Hispanum Cardinalem Presbyterum de S. Praxede, & ad Bertrandum Monfavesium Cardinalem Diaconum de S. Maria in Equiriis. Epistolæ 23 Junii scriptæ summa est hæc. Ut per querimonias multorum comperimus, Regis Franciæ Prætores Clerum in possessione beneficiorum ipsius turbant, eum his spoliant per violentiam, ejus bona perperam usurpant. Dum vacant Ecclesiæ cathedrales, ubi Rex habere se jus regium perhibet, ea, quæ Papa vel collatores ordinarii ante vacationem episcopatus contulere, beneficia, si nominati eorum possessionem non adierunt, Rex confert, sicut & illa, quæ adimi ex jure potuissent possessoribus suis ob crimen vel aliam causam; illa, inquit, Rex confert etiamsi Judex ecclesiasticus contra possessorem nullam tulerit sententiam. Nempe ut nostri Jurisconsulti Galli contendunt, beneficium ex facto vel

n. 15.

Vitæ PP.

p. 202.

Rayn. n. 17.

vel

Sæcul. XIV. vel jure vacare sufficit, ut juri regio de-
A. C. 1337. tur locus.

Litteræ sic continuantur: Quoties
hac de re lis oritur, hujus cognitionem
Rex sibi & curiæ suæ arrogat. Præte-
rea jus regium extendit ad Ecclesiam Tu-
ronensem multasque alias, ubi id locum
non habebat sub antecessoribus ejus: &
quando illæ Ecclesiæ vacant, Regis Præ-
tores earum terras obtentu custodiæ in-
utiles reddunt; stagna, sylvas, molas a-
lienant, vel ita corrumpunt, ut diu ne-
queant reparari. Papa Nunciis impe-
rat, ut Regem ad corrigenda hæc omnia
magnopere hortentur.

n. 18.

n. 20.

Simul mittebat eis epistolam ad An-
glorum Regem Eduardum eodem die 23
Junii scriptam, & similibus querelis ple-
nam; quod ejus Prætores, multique No-
biles Clerum acerbè habeant, beneficiis,
bonis, & juribus ipsius privent, ac Rex
conniveat. Per hæc exempla liquet u-
niversalis laicorum seditio contra Cle-
rum.

§. LV.

Concilium Avenionense.

Patet hæc insuper ex decretis concilii
Avenione habiti 3 Sept. hoc anno
1337 in S. Rufi cœnobio, ubi aliud cele-
bratum fuerat anno 1326. Præsidebant
earun-

Sup. lib. 93.
S. 20.

earundem, ut antea, provinciarum Archiepiscopi, nempe Gasbertus Arelatensis, Bertrandus Ebredunensis, & Armandus Narcisus Aquensis, successor Arnaldi suffecti Jacobo Concosio, qui obierat anno 1329. Huic Avenionensi concilio intererant Episcopi ex provincia Arelatensi octo, ex Ebredunensi quinque, ex Aquensis sextana quater, annumeratis tribus Archiepiscopis viginti omnino Præfules. Edebantur ibi canones sexaginta novem, maximam partem repetiti ex concilio anni 1326. En ea, quæ in reliquis memorabilia mihi videntur! In Paschate a suo quisque Parocho divinum accipiat epulum. Clerici beneficiarii, Ordinibusve majoribus initiati quovis sabbato carnis abstinence in honorem SS. Virginis, & ut laicis bonum præbeant exemplum. Hæc abstinence in diem sabbati trecentos abhinc annos præscripta fuerat ob inducias Deo sacras: & hic videmus eam non universe adhuc institutam fuisse; ut etiam aliunde constat.

Quidam Judices ecclesiastici, cum proscriptos diu obstinatos manere, neque censuris tangi cernerent, jubebant eorum domos lapidibus peti, ut factum Parisiis anno 1304. Alii curabant, ut Sacerdos ornamentis indutus suis veniret, aut sandapila portaretur ad proscriptum veluti humandum. Concilium prohibet

Histor. Eccles. Tom. XXIII. H h hos

*Sæcul. XIV.
A.C. 1327.*

*Gall. Chr.
nova to. I.
p. 322.*

art. 4.

art. 5.

*Sup. lib. 59.
§. 28.
v. Thomass.
jeunes 2.
part. ch. 16.
n. 8.*

*Conc. Aven.
art. 8.*

*Sup. lib. 90.
§. 45.*

Sæcul. XIV.
A.C. 1337.

art. 49.

a. 51.

hos insolitos agendi modos; & suggesta in Jure remedia vult adhiberi. Sed ista non extenduntur ultra anathema. Cæteræ præscriptiones contingunt potissimum iniquas usurpationes bonorum ecclesiasticorum, & violentias contra Clericorum corpora. Canonicos etiam templorum cathedralium ad bimestrem tantum præsentiam adstringit Concilium; iisque, quorum dignitates postulant majores Ordines, totum concedit annum, cujus intra spatium se istis imbui curent. Canonibus magis consentaneum fuisset illos declarare his indignos, eo quod hos spernerent, nec servire Ecclesiæ, sed solum ejus bonis frui cuperent.

§. LVI.

*Gratia legis Regi Armeniæ
facta.*

Rayn. 1337.
n. 24.

Leo Armeniæ Rex frustra imploratis Francorum subsidiis invitatus tandem se submitit Sultano Ægyptio; & coram Nuncio ejus impositis Evangelio digitis juravit se nec litteras, nec Legatos missurum ad Papam vel Romanam curiam. Benedictus re aliunde comperta Regi Armeniæ ita scripsit: Tale jusjurandum tam voluntati divinæ, quam justitiæ repugnat, & tuæ dignitati derogat. Adhæc

hæc non est voluntarium, sed extortum Sæcul. XIV.
 per violentiam hostilem. Quocirca te A.C. 1337.
 inde solvimus ex autoritate Apostolica,
 teque neutiquam eo teneri declaramus.
 Dabat 1 Maji anno 1338. Verum post
 talia legum laxamenta quam fidem eth-
 nici Christianorum juramentis habere
 poterant?

§. LVII.

Res Ludovici Bavari.

Cum Bavariæ Dux Robertus, & Guiliel-
 mus Juliacensis Comes Papam ad ab-
 solvendum Ludovicum Bavarum non ad-
 duxissent; hic Princeps revocavit illos Sup. n. 42.
 Legatos ac Procuratores suos: ac Hen-
 ricus Verneburgius Archiepiscopus Mo- Ab. Argent.
 guntinus ejus fautor Argentinae, Augu- p. 127.
 stæ, Eichstadii, Spiræ, atque Curia E-
 piscopus, & quosdam alios Suffraganeos
 suos Spiram convocavit. Statuerunt ad
 Papam mittere, qui nomine ipsorum Lu-
 dovici absolutionem poscerent; atque si
 repulsam ferrent, convenire iterum, &
 quid agendum esset, consultare. Le-
 gati erant Udalricus Episcopus Curien-
 sis, & Gerlacus Comes Nassovius: qui-
 bus comiter acceptis Papa propemodum
 flens in aurem dixit: Erga Principem
 vestrum bene sum affectus. At Rex
 Franciæ ad me scripsit, si suo sine con-
 sensu

Sæcul. XIV.
A. C. 1338.
sensu fieret, ut Ludovicum absolverem, me pejus a se habitum iri, quam sui antecessores Papam Bonifacium tractassent. Denique Delphinus Viennensis rogatu Papæ Legatos per montes Lausanam duxit. Ita rem narrat Albertus Argentinensis.

Rayn. 1338.
n. 3. 4. &c.

Papa non respondit Archiepiscopo Moguntino, quem ut perjurum ac rebellem incurrisse in anathema censebat: sed Archiepiscopo Coloniensi & Suffraganeis ejus fusam scripsit epistolam: ubi ait per impatientiam Legatorum Ludovici Bavarum abruptum esse negotium: id non a libi, quam in Romana curia agendum: ne Ludovicus absolveretur, obstare potissimum belli apparatus, quos faceret contra Regem Galliæ, cujus emolumenta negligere haud posset Romana Ecclesia nunquam a Gallis derelicta. Dabat 1 Julii anno 1338.

n. 10.
Rehdorf.
p. 426.

Quinto decimo ejusdem mensis Electores Imperii, excepto Rege Bohemiæ, cum in quendam territorii Moguntini locum Constanium nomine convenissent, declarabant inibi, jus ac veterem Imperii morem esse talem, ut per Principes Electores aut per majorem discordantium partem cooptatus Rex Romanorum Apostolicæ Sedis approbatione, consensu, aut confirmatione non habeat opus ad sumendum Regis titulum, vel ad Imperii bona

bona & jura administranda. Deinde Rensiam ad Rhenum delati jurabant fore, ut Imperium ac ejus jura contra omnes sine ulla exceptione defenderent, eoque adstringerent, quos possent, cunctos, quæcunque demum legis gratia fieret aut absolutio.

Postea Imperator Ludovicus curiam seu comitia Francofordiam congregavit: ubi de consilio quorundam Fratrum Minorum edidit decretum 8 Aug. scriptum, per quod declarat irritas fuisse sententias a Joanne XXII contra se latas; & contendit Papam sine violatione juris alieni nihil simile contra Imperatorem posse facere; quia jurisdictio sacra differret a profana. Decretum rationibus & argumentis est stabilitum; & impugnatur ibi primum hæc propositio: Potestas imperatoria venit a Papa: & is, qui eligitur in Regem Romanorum, vocari nequit Imperator; nec auctoritatem, vel jurisdictionem habet aliquam, donec ungetur & coronetur a Papa; qui potestatis tam profanæ quam sacræ plenitudinem tenet. Hæc propositio plurimis auctoritatibus decreti Gratiani, & interpretationis, quam vocant Glossam, confutatur.

Tum Joannis XXII litteris opponuntur multa vitia formulæ; inter alia, quod ille nullam duxerit rationem provocatio-

H h 3,

nis

Sæcul. XIV.
A.C. 1338.Alb., p. 129.
Heruard.

to. 2. p. 751.

p. 762.

p. 765.

Sæcul. XIV.
A.C. 1338.

p. 773.

3779. 5. 0.

nis ad futurum concilium. Papæ nomine respondebatur, neminem posse appellare a decretis ejus, quippe qui omnium supremus esset. At Imperator subjicit concilium generale esse Papa superius, quoties ageretur de fide ac jure divino: probatque multis authoritatibus Gratiani & Interpretum: nec enim longius tunc ibatur.

Alb. p. 129.

Doctor Albertus Argentinensis ab Episcopo suo Avenionem missus Papæ attulit exemplaria decreti hujus imperatorii, & juramenti Principum, Imperii jura tueri cogitantium. Exposuit simul, Episcopum Argentinensem haud posse amplius resistere Imperatori; cogique clientis fidem ac obsequium ei promittere, ac jura principatus referre in acceptis. Hæc memorat Albertus in annalibus suis; & addit: Papa mihi duriter loquebatur de Principe, nempe de Ludovico. Ego autem aiebam: tuum sermonem favorabilem majori gloriæ duxit sibi, quam si a te centies mille felibus argenti donatus esset. Tum Papa cachinnum tollens: Itane pro bono malum reponere vult? Atque hic risus indicabat ejus verba aspera non ex animo profecta esse.

§. LVIII.

§. LVIII.

Sæcul. XIV.
A. C. 1338.*Illatae Judæis violentiæ.*

Sub idem tempus Imperator Ludovicus Bavarus sedavit vehementem populorum concitationem contra Judæos in Germania factam, & in Austria ortam hac occasione. In quodam Passaviensis dioceseos oppido Pulca nomine homo profanus ante domum Judæi sub paleis invenit hostiam cruentatam. Populus consecratam putans per loci Parochum attolli curavit, & in templum deferri: quo magnus piorum hominum concursus fiebat, hostiam a Judæis ictam per miraculum sanguinem fudisse credentium. Hanc ob suspicionem sine ullo examine, vel alia Juris via Christiani facto in Judæos impetu multos trucidarunt. Sed prudentiorum judicio id faciebant potius, ut illorum bona diriperent, quam ut factum sacrilegium vindicarent.

Rayn. 1338.
n. 18.

Hanc conjecturam firmavit res similis, quæ ante aliquod tempus acciderat in ejusdem diocesis oppido Neirmiburgo: ubi Clericus quidam hostiam non consecratam sed sanguine imbutam in templo posuit: & postea coram Episcopo Wernhardo, aliisque viris fide dignis factus est, se hanc hostiam sanguine tinxisse,

n. 19.

Sæcul. XIV.
A.C. 1338.

xisse, ut eo modo Judæos in gravem sus-
spicionem vocaret. Hostia aliquamdiu
veluti corpus Domini nostri adorata
tandem vermibus consumpta fuit. A-
lius quidam Clericus in ejus locum sub-
stituit hostiam similem, nempe non con-
secratam & cruore oblitam, quæ coleba-
tur, ut prior: & hic error etiam tum
durabat, cum Albertus Austriæ Dux Pa-
pam Benedictum per epistolam de his
factis edocens, quid agendum sibi esset,
rogavit.

2. 20.

Papa sic respondit: Hæc facta me-
rentur examen diligentissimum. Hinc
enim colitur hostia non consecrata: ita
illuditur Sacramento, & Christiani fal-
luntur. Illinc, si Judæi perpetrarunt
scelus, cujus in suspicionem venerunt, id
impune ferre non possunt, quin nostra
religio cooperiatur dedecore, ac divina
indignatio accersatur. Igitur Episcopo
Passaviensi præcipimus, ut in omnia rei
adjuncta sedulo inquirat; viros pruden-
tes ac pios sibi adjungat; in factorum
locis testes interroget; paucis: verita-
tis penitus detegendæ modos omnes
congruos adhibeat. Tum si de Judæo-
rum crimine constet, meritis eos pœnis
afficiat: si vero sint infontes, severitatem
canonum contra calumniæ authores ex-
erceat. Cum sic munus obierit suum, tu
ac reliqui Christiani clare videbitis,
quid

quid vos agere oporteat. Has litteras Sæcul. XIV.
 Duci, & mandatum Præsuli Passaviensi A C 1338.
 scripsit eodem die 29 Aug. 1338.

Violentia contra Judæos longius ex-
 currebat in Germaniam superiorem: ubi
 homo privatus, qui se nominabat Regem
 Armiledorum, ascita sibi rusticorum mul-
 tudine Judæos, quos invenire poterat,
 omnes necabat religionis studium obten-
 dens. At denique socii ejus in Christia-
 nos quoque irruebant. Itaque in gras-
 santes eundem fuit: præcipuumque re-
 medio malo attulit Imperator Ludovi-
 cus Bavarus, captum factionis ducem
 vita expellens: sic enim dispersa illa e-
 vanuit.

§. LIX.

Querelæ Cleri Hungarici.

Interim Episcopi Hungariæ fufis ad Pa-
 pam litteris perscripsere suas de Rege
 ac Proceribus querimonias; quas hanc
 in summam redegi: Ut primum Præsul
 aliquis vitam posuit, Administri Regis in
 omnia ejus bona ecclesiastica & paterna
 manum injiciunt, ita, ut cadaver multis
 diebus sepultura careat: quia cognati e-
 jus aufugiunt, ne per tormenta compel-
 lantur ad reddendum, quæ a Præsule ac-
 ceperunt quantumvis justo titulo. Ut in
 possessionem mittatur is, qui admini-
 stran-

Bal. ult. to. I.

p. 203. 223.

236.

Ragn. 1338.

n. 22.

Sæcul. XIV. A.C. 1338. strandam obtinuit Ecclesiam, a Prætoribus Regis adstringitur ad solvendum tantum pecuniæ, ut Ecclesiæ bona oppignorata hæreant. Rex dudum ante mortem Præfulum Ecclesias cathedrales confert: quapropter per annos tres ac viginti nullus nisi regio jussu electus fuit: & sic intruduntur homines inhabiles, & facrorum nundinatores. Coguntur adire bellum Præsules seculares ac religiosi, etiamsi solum teneantur ethnicos, aut schismaticos, quoties in regnum irrum-punt, depellere. In principio cujusque anni jubentur duo Archiepiscopi pro strenâ pendere argenti selibras ducentas, ac Episcopi quinquaginta.

Clerici nulla suorum privilegiorum ratione habita trahuntur ad forum profanum. Cum litigant, sæpe damnantur ad singulare certamen, ut canones violandi metu id detrectantes causa cadant. Abrogati sunt generales Ordinum conventus, in quibus regni status temperabatur. Omissa judiciorum forma Viri nobiles officiis ac bonis privantur suis. Antiquatæ sunt omnes probæ consuetudines, immunitates, & jura per sanctissimos Reges Stephanum & Ladislaum concessa. Juravit quidem sæpe Rex hodiernus se restitutum illa in statum pristinum; sed solvendo huic promisso destinata dies exiit. Ob fractam fidem
regiam

regiam Hungari omnes ad feditionem Sæcul. XIV.
 convertunt animos : & magnopere ti- A.C. 1338.
 mendum, ne hoc in regno Christiana re-
 ligio extingatur. Denique tantum abest,
 ut ex veteri more Rex consilia Præfulum
 sequatur, ut eos ne pro viduis quidem
 foeminis ac pupillis dicentes audiat, sed
 turpiter repellat. Finiunt orando Pa-
 pam, ut tot & tantis medeatur malis.
 Credebant scilicet Summi Pontificis esse,
 ut Regum agendi modum etiam in re-
 bus civilibus cognoscat & corrigat, ad
 mentem Bonifacii VIII, & Augustini
 Triumphii. Papa Benedictus XII satis
 habuit Carolum Hungariæ Regem dehor-
 tari per epistolam datam 20 Sept. 1338.

§. LX.

*Papa litteras accipit a Tartaris &
 Alanis.*

Avenionem ineunte hoc anno Magni
 Tartarorum Cui Nuncii advenerunt
 cum epistola, in qua se dicit Impera- Vading.
 torem Imperatorum, & ita loquitur: Ad 1338. n. I. a.
 Papam Christianorum Dominum in Fran- Etc
 ciam trans septem maria, ubi sol occi- Rayn. eod.
 dit, nostrum Nuncium Andream Francum n. 73. 74. Etc.
 cum sociis quindecim mittimus, Nuncii
 sæpe per nos ad illum, ac per illum ad nos
 mittendis aperturam viam, rogaturum-
 que,

Sæcul. XIV.
A. C. 1338.

que, ut ille per litteras nobis bene precetur, semper suis in precibus sacris nostri meminerit, sibi que commendatos habeat Alanos Christi cultores, nostros servos, ac suos filios. Cupimus etiam, ut Andreas ex Occidente nobis adducat equos, aliaque mirabilia. Dabat Cambali. Hic videmus, quam Papæ notionem Viri Apostolici huic Principi dederint; utpote qui eum non Patrem aut Pontificem, sed Dominum Christianorum nuncupet.

Sup. S. 30.

Quatuor Alanorum Principes itidem Papæ scripserant in hanc sententiam: Catholicam fidem edocti diu, & utiliter gubernati fuimus per Sanctitatis tuæ Legatum Fratrem Joannem magnæ pietatis Virum; sed qui octo abhinc annos obiit. Is est Joannes Moncorvinus Cambali Archiepiscopus vita functus sub annum 1330. Epistola continuatur: Ab eo tempore caruimus ductore, ac solatio spirituali. Audivimus quidem te nobis de alio Legato providisse: at nondum venit. Hic est Nicolaus ex eodem Fratrum Minorum Ordine in Cambali Archiepiscopum consecratus anno 1333. Proinde tibi, pergunt Alani, supplicamus, ut nobis quam celerrime mittas aliquem; ac Imperatorem Dominum nostrum suavibus horteris litteris ad instituendum, quod a te petit, commercium
mutua-

mutuarum legationum, & ad amicitiam tecum jungendam. Quæ res multum conferet ad animarum salutem: contra vero indignatio ejus innumera acciret mala.

Papa hos Legatos magno honore donisque affectos remisit cum epistolis 13 Junii scriptis ad Magnum Canum & Principes Tartarorum Alanorumque: quibus etiam misit fidei professionem omnino similem illi, quam Clemens IV ad Græcos miserat. Quatuor post mensibus Benedictus ad Tartaros legavit quatuor Fratres Minores, scilicet Nicolaum Bonetum Theologiæ Professore, Nicolaum Molanum, Joannem Florentinum, & Gregorium Hungarum, quibus 2 Novembris dedit mandati tabulas ad annos solum decem valituras.

Agebant tum temporis in Italia deceptores Armeni, qui se dicebant Episcopos; & suæ nationis catholicos vexabant. Athanasius fictus Episcopus Vericensis erat Romæ; ubi docebat errores contra fidem, & utebatur privilegiis, aliisque litteris falsis quorundam Paparum nomina præferentibus. Variis ille modis Armenos catholicos exagitare; horrere tinctos baptismo secundum formam Ecclesiæ Romanæ; eos dicere defectores Christianæ fidei; carceri mandare; multisque aliis rationibus insectari,

Sæcul. XIV.
A. C. 1338.

Rayn. n. 78.

Vad. n. 10. II
Etc.

Rayn. n. 80.

Rayn. ibid.

ri,

Sæcul. XIV. ri, ut eos in pristinos errores reduceret.
 A.C. 1338. Papa rem edoctus mandata misit, ut Athanasium Vicarius Romanus, Episcopus Anagninus, alios autem duos Armenos eorundem criminum affines, scilicet Petrum Patavii hærentem, qui se Hierosolymæ Patriarcham, & Episcopum Nazarenum fingeret, ac Ezechielem hujus Vicarium Florentiæ commorantem locorum Antistites carceribus addicerent.

§. LXI.

Papa Cardinales creat.

Die Veneris 18 Decembris anno 1338
*Bal. vit. to. I. p. 209. 810. Eccl. 242. * Desbatail. les Rayn. 1335. n. 63.* Papa Benedictus sex decrevit Cardinales. Primus fuit Gotius Ariminensis e familia * Pugniorum, a Papa 14 Junii an. 1335 Constantinopolitanus Patriarcha honorarius, modo Cardinalis Presbyter designatus absens, quippe hoc anno ut Legatus ab eodem in Siciliam missus cum Ratherio Episcopo Vasionensi. Secundus, Bertrandus Deucius, natus in castro Blandiaco territorii Vindomagensis, dioceseos Uzetinæ, ex Præposito Ecclesiæ Ebredunensis factus an. 1333 ejusdem Archiepiscopus, eodemque anno a Papa Joanne XXII ad Robertum Siciliæ Regem, & ad Franciscum Dandolum Venetorum Ducem missus, ut eos consuleret

ret de modis sistendi progressus bellicos Turcarum. Adhuc aberat, cum declaratus est Cardinalis Presbyter. Sæcul. XIV.
A.C. 1338.

Tertius, Petrus Rogerius Malomontanus Archiepiscopus Rothomagensis, & postea Papa Clemens VI. Quartus, Guilielmus Curtius ortus in diœcesi Tolosana, nempe Mirapicina; sed ante disjunctionem; ex monacho Cisterciensi ac Doctore Theologiæ Episcopus pridie Calendas Majas anno 1337 Nemosensis, ac tertio Nonas Decembres Albigenis; nunc Cardinalis Presbyter evasit. Quintus, Bernardus Albiensis, ex diœcesi Apamiana oriundus; anno 1336 renunciatus Episcopus Rhutenarum; sequente anno Castiliæ ac Lusitaniæ Reges reconciliatum missus in Hispaniam: ubi etiam tum agebat, cum Cardinalis Presbyter crearetur. Sextus, Guilielmus Daurius ex Monacho Lesatino Montolii Abbas per Joannem XXII anno 1323 factus, & a Benedicto XII an. 1336 adhibitus ad componendas sanctiones Benedictinum Ordinem correcturas. Cardinalis Presbyter appellatus, Montolii successorem habuit Raymundum Rogerium Daurium agnatum suum. Sup. §. 48.

Tres Cardinales, qui creationis tempore abfuerant, non nisi post mensis spatium, nimirum 16 Jan. 1339 Avenione in Papæ conclavi suos accepere titulos. Rayn. n. 87.
Mus. Ital.
to. 2. p. 432.

Fanum

Sæcul. XIV.
A. C. 1338

Fanum S. Marci Bertrando Deucio, ædem Sanctorum Quatuor Coronatorum Guilielmo Curtio, templum S. Stephani in monte Cælio Guilielmo Daurio commisit Papa. Hæc testatur scriptor coævus, scilicet Cardinalis Jacobus Cajetanus in suo codice ceremoniarum Curiae Romanæ.

§. LXII.

*Petro Arragonio adjudicatur
Sicilia.*

Rayn. 1339.
n. 44. 45. &c.
J. Vill. l. II.
c. 70.

Rayn. 1337.
n. 26.

Id. 1338.
n. 33.

Interea Gotius primus e novis Cardinalibus, & Ratherius Episcopus Vasio-nensis in Siciliam delati premebant Petrum Arragonium se gerentem pro Rege hujus insulæ. Is erat maximus natu filius Friderici 24 Junii anno 1337 mortui, postquam Petrum se vivo coronari curaverat, etsi prope insanus erat. Tum Rex Robertus erectus in spem recuperandæ Siciliæ ad Papam Benedictum hac super re scripsit: qui 28 Augusti reposuit se nihil ejus damno fieri passurum, sed omni ope ac opera ipsi affore. Arragoniæ Princeps, qui se dicebat Petrum II Siciliæ Regem, a Papa Benedicto inaugurationem in novam dignitatem poposcit per duos Equites, quibus traditum mandatum postremo Martii an. 1338 scriptum

ptum erat. At Rex Neapolis Robertus Sæcul. XIV. A.C. 1339.
 itidem ad Papam misit, qui Siciliam soli, quoad viveret, Friderico, non hujus posteris concessam exponeret, peteretque ab illo justitiam tanquam supremo hujus regni Domino.

Papa Gotium Constantinopolis Pa- Id. n. 36.
 triarcham honorarium, & Ratherium E-
 piscopum Vasionensem in Italiam misit
 fuis cum litteris: in quibus rem Siciliae Sup. lib. 87. §. 65.
 repetit ab ejus occupatione per Petrum I
 anno 1282 facta. Tum refert pactio- L. 90. §. 23.
 nem Caroli Claudi cum Friderico per Bonifa- Rayn. n. 42. 45.
 cium VIII confirmatam anno 1303. Ad-
 jungit: Id pactum Fridericus violavit sæ-
 pius, præsertim dum Petrum filium natu-
 maximum jussit coronari Regem Siciliae,
 ac hujus hæredem testamento instituit,
 cum tamen pro se solo eam obtinuerit.
 Imperamus itaque vobis Nunciis nostris,
 ut vos transferatis in Siciliam, & ibi edi-
 catis, Petrum Arragonium cæterosque
 Friderici filios amisisse hanc insulam;
 quippe quæ ad Romanam Ecclesiam re-
 versa, ideoque cum altera regni parte,
 nempe cum Sicilia, cis fretum conjuncta
 denuo pertineat ad Regem Robertum
 tanquam verum Ecclesiae clientem fidu-
 ciarium. Petro ac fratribus ejus stri-
 ctissime præcipietis, ut Siciliam Regi Ro-
 berto certum intra tempus restituant; a-
 lioquin subituri sacras profanasque pœ-
 nas

Secul. XIV. nas severissimas. Dabat 4 Julii anno
A.C. 1339. 1338.

Kayn. 1339.
n. 44.

Quocirca duo Nuncii Gotius & RATHERIUS petierunt Regium Julii, Italiae urbem Siciliae proximam, Messana tribus duntaxat leucis intermedio freto distantem. Vigesimo quinto Septembris inde in Siciliam miserunt quatuor Fratres Minores: qui consensu lembo, cum Messanam intrare vellent, hinc exclusi ducebantur ad Comitem Matthaeum Palicianum urbi praefectum a Rege Petro. Adventus causam elocutos neque Messanam ingredi, neque allatas litteras cuiquam hominum ostendere sinebat, Nunciis, si advenirent, & ipsi Papae urbis aditum denegandum asserens. Ita per diem totum sine cibo ac potu detentos redire illuc, unde venerant, coegit.

Nuncii proinde tertia Octobris ex auctoritate Summi Pontificis declarabant, Petrum Arragonium & fratres ejus omne ad Siciliam jus perdidisse; jubebantque illos sub anathematis poena, si non parent, eam Regi Roberto intra menses duos restituere, aut Terracinis, ubi rationes exponerent suas, post id tempus se sistere. Cum hoc exiisset, Nuncii quarto Decembris Terracinis aderant, Petroque ac fautoribus ejus ut contumacibus scripto Romana sacra interdicebant, menstruum permittentes spatium, antequam ferrent sententiam.

tentiam. Illo elapso Nuncii die Martis Sæcul. XIV.
 5 Jan. 1339 moram iterum prorogabant: A. C. 1339.
 & tandem quinto Aprilis contra Petrum
 ac partes ejus decretoriam pronunciarunt
 sententiam: ut rei gestæ acta 7 Aprilis
 ab eis perscripta docent. Atque is erat
 totus eorum negotii fructus.

§. LXIII.

Hungariæ Regis religio.

Carolus seu Charobertus Hungariæ Rex, Rayn. 1339.
 Roberti Neapolitani Regis nepos in n. 82.
 pueritia sua de suo jure ad regnum con-
 troversiam moveri videns, sæpius se voti
 religione adstrinxerat ad complendum
 diebus certis certum numerum recitatio-
 num precationis dominicæ, salutationis
 angelicæ, ac illius, cui principium: *Sal-
 ve Regina!* sic, ut eas hoc die centies, il-
 lo ducenties diceret: quæ res oneri tan-
 dem huic Principi erat habenti consilia,
 regniq; sui negotia curanti. Quocirca
 oravit Papam Benedictum, ut hæc vota
 commutaret. Annuens iste quotidie has
 eum preces quindecies recitare jussit ea
 lege, ut duodecim pauperes aleret illis
 diebus, quibus eas precandi formulas
 crebrius quam quinquagies dicendas su-
 scipisset. Litteræ 17 Jan. 1339 scriptæ
 sunt, atque indicant, qualia illo tempore
 viguerint exercitia pietatis.

Sæcul. XIV.

A. G. 1339.

Charobertus ex prima conjuge sua Maria Casimiri Polonorum Regis sore habebat filium Ludovicum nomine, qui hoc ipso anno designatus est Rex Poloniæ. Nam Rex Casimirus ejus avunculus sibi deesse liberos videns, ne post mortem suam regnum direptionibus exponeretur, pridie festum S. Stanislai 6 Maji generalia celebravit comitia, in quibus Ludovicum nepotem suum in successorem eligi curavit: tum ipse cum duobus Episcopis, & nonnullis Optimatibus in Hungariam delatus Vicegradi 7 Julii cum Rege Carolo certis conditionibus rem composuit.

Dlug. p. 1055

§. LXIV.

Sententia pro Rege Poloniæ.

Anno priore Papa Gaillardum Carnutensem Præpositum Tibisci Colocianæ in Hungaria diceceseos, ac Petrum Gervasium Aniciensem Canonicum tanquam Nuncios suos in Poloniam miserat cum mandato hujusmodi: Recepimus Casimiri Poloniæ Regis querimoniam, quod Magister & Fratres Teutonici Ordinis in Borussia habitantes quasdam Poloniæ terras, scilicet Culmam & Pomeraniam, pluresque dein alias armatis manibus occupaverint, ac etiamnum retineant, non sine gravi damno illius regni, ac si-

mal

Dlugos. lib. 9
p. 2043. 1045

mul Ecclesiæ Romanæ, utpote cujus sit tributarium, & præter quam post Deum neminem agnoscat superiorem. Quapropter de consilio nostrorum Fratrum Cardinalium vos jubemus in has occupationes malaque inde secuta inquirere, damnare fontes, ac judicium vestrum executioni dandum curare. Scribebat 4 Maji an. 1338.

Sæcul. XIV.
A.C. 1339.

Duo proinde Nuncii ad se vocarunt Magistrum & Fratres Ordinis Teutonici, ac nominatim multos Equites beneficiis præditos numero viginti quinque. In loco ac die præscriptis se Nunciis sistebat Bartholdus Ratiborianus Jurisconsultus, Poloniæ Regis Procurator, tradebatque petitionem suam, ut ex mandato Papæ statuerent de Ordine Teutonico, Equitibusque beneficiariis accitis. Ex altera parte comparebat Jacobus Arnoldi villanus Culmensis dioceseos Parochus, Procurator Ordinis Teutonici; qui Nuncios a se agnosci Judices negabat; & cum ob causas, quæ iis videbantur frivola, ab eis ad Papam appellasset, celeriter sine illorum permissu abiit.

Tum Nuncii Magistro ac beneficiariis Equitibus Ordinis de contumacia rite damnatis hanc decretoriam pronunciarunt sententiam: Ut per argumenta sufficientia nobis liquet: Frater Theodoricus Altemburgius modo Magister Ordinis Teu-

Sæcul. XIV.
A. C. 1339.

tonici, & tunc Castrorum Præfectus sub Magistro Luthero Brunsvicensi, Ordinisque beneficiis præditi Equites illi, qui sunt viginti quinque jam nominati, constituto hostili agmine passisque vexillis ingressi Poloniam vastarunt agros, templaque (nominantur novem) incenderunt, postquam inde libros, calices, thesauros, deposita, Sanctorum reliquias & imagines asportaverant. Quocirca eos declaramus anathemate devinctos, & absolutionem Supremæ Sedi reservatam. Condemnamus simul eosdem ad reædificanda templa, reddendamque sacram suppellectilem ablatam. Adhæc restituent Pomeraniam cum occupatis terris reliquis, ac fructibus inde perceptis: atque resarcient damna illata & lucra cessantia. Rem universam centies nonagies quater mille ac quingentis selibris monetæ Polonicæ secundum affirmationem Regis, & impensas mille sexcentis selibris æstimamus. Sic statuimus Varsoviæ in templo S. Joannis Baptistæ 15 Sept. anno 1339.

p. 1053. B.

§. LXV.

Suecorum Regis postulatio.

Cum Christophorus Rex Daniæ ob suas violentias & improbam agendi rationem ex regno pulsus esset, incolæ Scaniæ, ut parvis a tyrannis se prementibus fierent

rent liberi, se Regi Suecorum Magno sub-
 misere. Is orabat Papam Benedictum,
 ut Scaniae possessionem ipsi ac posteris
 confirmaret, faceretque copiam adimen-
 di, si posset, tyrannis alias quoque terras,
 praesertim cum Dania nunquam subjecta
 Imperio fuisset, sed Ecclesiae Romanae tri-
 butum penderet; quod & ipse acturus
 esset. Papa reposuit: Aequitas, nostro-
 rumque antecessorum mos antiquus haud
 permittunt, ut profana hujusmodi bona
 concedamus, antequam accersamus ci-
 tandos, & in statum bonorum, de quibus
 agitur, inquiramus. Idcirco te voti da-
 mnare non potuimus. Litteras dabat
 23 Jan. 1339.

Sæcul. XIV.

A. C. 1339.

Rayn. 1339.

n. 84.

§. LXVI.

*Canonicorum Regularium disciplina
 instauratur.*

Papa Benedictus, ut tres abhinc annos
 ad corrigendos Monachos, sic hoc an-
 no ad emendandos Canonicos Regulares
 fusas edidit litteras. Præscribit primum
 receptionem, professionemque Canonicorum;
 deinde congressus tum quotidianos
 in singulis asceteriis, tum anniversarios
 vel provinciales quarto quolibet anno ha-
 bendos: nam hoc in tempus jam dilati
 fuerant: cum tamen Concilium Lateranense
 tertio quovis anno eos celebrari
 iusserit.

Sup. §. 47.

to. II. conc.

p. 1799.

Bull. to. I.

p. 259.

c. 5. 6. 7.

C. in sing. tra.

de Stat.

Mon.

Li 4

iusserit.

Sæcul. XIV
A.C. 1339

c. 10.

c. 19.


c. 27.

c. 28.

c. 30.

jusserit. Excurrit late in studia Canonico-
rum tam domestica, quam academica.
Decernit qualitatem ac formam singula-
rum vestium pro more illius seculi. Ad-
dit: Sabbatis ac per hebdomades domi-
nico adventui sacras abstinentiam car-
nium colant: nec omittant majorem in
quibusdam domibus usitatam. Dormi-
toria sint sine cellulis: non construuntur
novæ: sed jam constructæ servantur, ita
tamen, ut a fronte omnino pateant. Ca-
nonici residentes in coenobiis quavis he-
bdomade saltem bis divinum peragant sa-
crificium: qui non sunt Sacerdotes, plus
quindecim diebus nunquam differant;
sacram confessionem & singulis mensibus
coeleste ad epulum accedant. Secun-
dum reliqua hæc sanctio est similis dua-
bus prioribus, quæ Monachos contin-
gunt. Dabat istam 15 Maji

anno 1339.



HISTO-